SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPVSCVLA VARIA
PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQVARIA
SIGNA LAPIDES NVMISMATA GEMMAS
E T
MONVMENTA MEDII AEVI
NVNC PRIMVM EDITA COMPLECTENTES

VOLVMEN TERTIVM

Ornatum Tabulis V. aere, aliiſque pluribus buxo inciſis



FLORENTIAE. CIƆ. IƆ. CC. XLVIIII.

EX IMPERIALI TYPOGRAPHIO
PRAESIDVM PERMISSV.

IESV CHRISTO

AETERNI PATRIS FILIO

VERO DEO ET VERO HOMINI

REDEMPTORI GENERIS HVMANI

BENIGNISSIMO ET CLEMENTISSIMO

PRO MVNDI SALVTE

CRVCIFIXO

QVI LAVIT NOS A PECCATIS NOSTRIS

IN SANGVINE SVO

HOSTIAE PVRAE SANCTAE IMMACVLATAE

PRINCIPI PACIS PATRI FVTVRI SAECVLI

REGI MAGNO

PONTIFICI MAXIMO

IVDICI VIVORVM ET MORTVORVM

DE SPIRITV SANCTO CONCEPTO

ET NATO EX MARIA VIRGINE

QVOD PRAESENTISSIMO

SANCTISSIMAE CRVCIS SVAE AVXILIO

AB HOSTE MALIGNO

AB AERVMNIS MALISQVE MVLTIS

LIBERATVS, ATQVE VT SPERAT, LIBERANDVS SIT

ANTONIVS FRANCISCVS GORIVS

DIVINA PRAESTANTE MISERICORDIA

INDIGNVS SACERDOS

OPVSCVLA HAEC SACRA

DE EIVS DONIS AC DATIS

AD THRONVM EIVS PIETATIS ET GRATIAE

FLEXIS GENIBVS

OFFERT . CONSECRAT . VOTI COMPOS

AEQVO HVMANOQVE LECTORI SVO ANT. FRANCISCVS GORIVS

C*Ontinet Volumen hoc tertium* SYMBOLARVM *mearum Monumenta ſacra non pauca, maxime veneranda, pretioſa quoque valde, atque inſignia, quae nunc primum in lucem proferuntur, & luculenter inluſtrantur. Principem locum obtinet Tabula eburnea pervetuſta, quae Venetiis in Monaſterio S. Michaelis apud Murianum adſervatur, et ſacris Imaginibus Angelorum, quatuor Evangeliſtarum typicis Animalibus, aliiſque Iconibus ornatur: cuius in medio* SANCTA CRVX *ſculpta eſt, in qua etiam recondita inſignis particula* VITALIS LIGNI, *e quo humani generis Redemptor amantiſſimus* IESVS CHRISTVS, *verus Deus, & verus Homo,* CRVCIFIXVS *pependit. & pro nobis mortuus, aeternam vitam nobis dona-*

Digitized by Google

vit. Iuxta Crucem a dextris DIVI CONSTANTINVS *Auguſtus, a ſiniſtris* HELENA *Auguſta eius mater ſpectantur, quorum nomina aeterna laude recolenda Graeca Inſcriptio declarat. Altitudine aequat uncias* XVI. *cum dimidia; latitudine uncias* X. *Veneti pedis; craſſitudine vero uncias duas. Iconem hanc nunquam antea editam, quum explanaſſet docto Commentario, Italice ſcripto, Vir Celeberrimus D. Anſelmus* COSTADONIVS *Venetus, Monachus Ordinis S. Benedicti e Congregatione Camaldulenſi, eiuſdem Monaſterii S. Michaelis Bibliothecarius, me rogante, Latio donavit, atque non paucis in locis, ſublatis aliquot typothetarum mendis, nova facie exornavit, ac locupletavit. Capitibus XIV. expoſuit Obſervationes ſuas plane egregias, quas in praeclaro Martyrologio laudavit ſummus Sanctae Catholicae Eccleſiae Hierarcha, Sapientiſſimus* BENEDICTVS XIV. *Multa quoque ad Hiſtoriam tum eiuſdem Sacroſanctae Iconis, tum Eccleſiae, in qua adoranda proponitur, & ad ipſum Murianenſe Monaſterium, & Camaldulenſem Congregationem pertinentia, quae ad hoc tempus latuerant, in optatam lucem produxit: cui Viro amiciſſimo ob haec, atque alia beneficia, quae mihi praeſtitit, longe ſum devinctiſſimus.*

Quoties antiqua Sacroſanctae Dei Eccleſiae Monumenta contemplor, & quam multa adhuc exſtant,

exſtant, quae in lucem proferri maximo cum fructu ad augendam eius gloriam, ac fidelium pietatem poſſunt, intueor; mihi identidem iraſcor, quod tam ſero debilitatis non parum ingenii mei viribus, his ſacrae Vetuſtatis reliquiis proferendis elucidandiſque animum adpulerim meum, nimiumque in Ethnicis monumentis inluſtrandis occupatus fuerim. Sed in his SYMBOLIS, *Deo auxiliante, non pauca e Sacrario Chriſtianae Religionis inluſtrata proferentur. Si quid otii nactus fuero, illud quoque Opus, quod in Dei honorem paucis ab hinc menſibus volvebam animo, ac meditabar, pro quo iam non pauca ad hunc ipſum ſcopum congeſſi, divino fretus auxilio perficiam: de quo pauca nunc loqui cogor, non ut laudem mihi creem; ſed ut a Viris doctis adiumenta quaedam quamprimum mihi neceſſaria comparem, quorum favorem enixis precibus opto, atque expoſco. Conſilium mihi eſt exſcribere ex ipſis autographis primitivae Eccleſiae Monumentis Sanctorum Martyrum Faſtos, quorum in Martyrologio Romano, nuper inſigni labore a Sapientiſſimo terque Maximo Pontifice* BENEDICTO XIV. *doctiſſimis curis emendato, inluſtrato, editoque, nulla mentio habetur; et quia ex vetuſtis Sepulcrorum, et Cryptarum, ſive Sacrorum Coemeteriorum Titulis a me depromtum eſt, inſcribere illud ſtatui,* MARTYROLOGIVM LAPIDARIVM. *In hoc ea tantum*

Sanctorum Chriſti Athletarum Nomina referentur, quorum Corpora e ſacris Vrbis Coemeteriis eruta ſunt, adpoſito iuxta ea Sanguinis vaſculo. Ea ſervato alphabeti ordine adferentur. Lapides ipſi, ſi quid opus erit, brevibus Notis inluſtrabuntur, praeſertim ubi Conſulum paria, et alia animadverſione digna notantur. Maximam igitur huiuſce MARTYROLOGII LAPIDARII *partem occupabunt ſacri Lapides, qui e Romanis Coemeteriis prodierunt, vel prodibunt; reliquam, Sancti Chriſti Confeſſores, quorum Exuviae in Italiae Vrbibus exſtant, et coluntur.*

Huic Operi, a nemine antea excogitato, ne dicam edito, eximiam laudem, & pretium adferent DISSERTATIONES *aliquot praemittendae; quas mihi ſe ſuppeditaturum promiſit Vir Chriſtianae Pietatis, & Litterariae Reipublicae bono natus, Celeberrimus P. Franciſcus Antonius* ZACHARIA, *Inclutae Societatis Ieſu Presbyter, qui ſcriptis ſuis primitivae Eccleſiae Monumenta praeſertim litteris inſculpta accurato ordine diſpoſita inluſtrare multo ſtudio invictoque labore ſatagit: de Chriſtianis nempe Lapidibus, quibus confirmari Catholica Dogmata poſſint, primum diſſeret; tum ad Lapides item Chriſtianos perpendendos accedet, in quibus Sacramentorum, aliorumque Rituum noſtrorum mentio; tandem Inſcriptiones colliget,*

iu-

inluſtrabitque, quae ad Pontifices maximos ſpectant, Epiſcopos, Presbyteros, atque adeo ad univerſam Eccleſiaſticam Hierarchiam. In hac Collectione non tantum Coemeteriorum Vrbis Monumenta ſelecta locum habebunt, verum etiam ea, quae in Italiae Vrbibus adſervantur. Liquebit etiam quam beata & glorioſa ſit non ſolum ETRVRIA, *verum et* FLORENTIA *quoque, in qua multa ſervantur, et rite coluntur* SANCTORVM CORPORA; *quod Opus ut ſubciſivis horis adgrediar, et conficiam, igniculos quosdam nunc mirum in modum adiicit Vir itidem ſacro eloquio, doctrina, et pietate ornatiſſimus P. Ioſeph* RICCA, *ex eodem Societatis Ieſu Collegio, qui modo publice nocturnis Sacris Lectionibus, bis in qualibet hebdomada, in Eccleſia S. Ioannis Apoſtoli, et Evangeliſtae eiuſdem Florentini Collegii, ad augendum Divorum Florentinorum cultum, et Fidelium devotionem,* ETRVRIAM SACRAM *optimo iudicio, accurato delectu, ac perſpicuo ordine inluſtrat. Inter Inſcriptiones antiquas, quae in Etrurie Vrbibus exſtant, non pauci adferuntur* CHRISTIANI LAPIDES, *e Coemeteriis Vrbis ad nos delati una cum* SANCTORVM MARTYRVM *beatis exuviis; ſed quia ſequentem apud nos Titulum in eo Syntagmate non vulgavi, perlubet nunc heic opportune adtexere. Vna cum Corpore* S. AVRELII SIRICI *et vaſculo eius Sanginis, quem pro Chriſto fudit,*

dit, ſervatur in Theſauro Aedis D. *Annunciatae, prodiitque e Coemeterio Lucinae, atque exſtat parieti inſertus ad laevam in aditu Sacrarii eiuſdem Eccleſiae hic Titulus:*

AVR. SIRICIVS
QVBI. AN. XXVIIII
IS P. EIVS. IN P

Scilicet: Aurelius Siricius, qui bixit (*vixit*) annis vigintinovem Iſpiritus (h. e *Spiritus*) eius in Pace. *Interim prodibit etiam in lucem alterum Sanctorum, et Beatorum Florentinorum Volumen, in quo elucubrando nunc totus eſt Vir Clariſſimus Ioſeph Maria* BROCCHIVS, *Almae Vniverſitatis Florentinae Theologus, et Socius Columbarius, de patria, et litteris optime meritus.*

Eximium plane caput Hiſtoriae meae Baptiſterii Florentini heic primum adferre libuit, ſumto exordio a ſacris Lipſanis, quae in eius Theſauro, cuius ego quoque Cuſtos ſum, adſervantur, & ſtatis feſtis rite colenda exponuntur. Nunc primum Eruditorum oculis proponitur Auguſtiſſimum SANCTAE CRVCIS *Salvificum* LIGNVM, *non ſolum magnitudine, ſed et ſculptura inſigne, quod heic exhibetur Cap. II. mei Commentarii. In eo caelatum eſt ab Artifi-*

tifice antiquo, ut ſimile vero eſt, facile VII. *vel* VIII. *ſaeculo*, IESVS CHRISTVS NAZARENVS CRVCIFIXVS; *ſed* CAPITE, *quod notatu ſpectatuque dignum eſt*, MITRATO, *e quo occaſionem nactus ſum, ut non ſolum de eo Pontificio inſigni ornamento diſſererem; verum etiam ut exponerem, quae nam apud primitivos Chriſti Fideles fuerint Symbola, & typicae Figurae, quae Chriſtum Dominum pro nobis in Cruce paſſum eorum menti obiicerent, ac referrent. Deinde diſquirendum cenſui, quo nam ſaeculo* CRVCIFIXI REDEMPTORIS *Imago publice in Eccleſiis ſpectanda, & adoranda propoſita fuerit; quam diſquiſitionem praeclari Viri, qui de his myſteriis diſſeruere, vel intactam reliquere, vel pauca, eaque multis cum ambagibus, adtigerunt: video tamen adhuc multa ſupereſſe, quae addi poſſunt: illud certe, quod tenuioribus licet ingenii mei viribus inveſtigare poteram, conatus ſum. Igitur apud primaevos Chriſtianos, adlatis indicatiſque compluribus Monumentis, oſtendo pro Imagine* CRVCIFIXI *propoſitam fuiſſe a Sanctis Patribus* PASTORIS BONI, & AGNI IMMACVLATI *typicas Imagines; item* Sacroſanctum NOMINIS CHRISTI Monogramma, *quod in columnis, in faſtigiis, in eminentioribus, atque auguſtioribus Eccleſiae locis, ſedibus, et thronis exaltare, atque in ſublime adtollere conſueviſſe, adlatis inſignibus Monumentis, & exemplis, oſtendi:*

SAN-

SANCTAM *pariter* CRVCEM *primo ſimplicem, rubro colore pictam, propoſitam fuiſſe; mox gemmis pretioſis, aliiſque ornamentis condecoratam: quam quum pii Cultores contemplarentur, ipſum, qui in ea* CRVCIFIXVS *pro noſtra ſalute eſt, adorabant, & Paſſionis eius myſteria devota mente recolebant.*

Denique ad MITRATVM CHRISTI *Crucifixi caput expendendum gradu facto,* MITRAE *uſum in Eccleſia Sancta Dei antiquiorem eſſe monſtravi, quam plures Eccleſiaſtici Scriptores opinati ſint, qui ſaeculo decimo anteriorem non eſſe ſcripſerunt. Dum haec ſcriberem, Mitrae quoque Pontificiae formam expendendum duxi: quare a remotioribus ſaeculis ad noſtra haec tempora deſcendi, adlatis in aerea Tabula inciſis non paucis iconiſmis. Conſtans eſt antiquorum noſtrorum Patrum traditio, idque etiam vetuſtae Inſcriptiones in Lipſanothecis ſculptae teſtantur, hoc tam pretioſum Monumentum, ipſum nempe* VITALE SANCTAE CRVCIS LIGNVM, *magnitudine, craſſitie, & caelatura plane omnium inſigne, dono datum fuiſſe Baptiſterio Florentino a* CAROLO MAGNO *Francorum Rege Piiſſimo, ac Magnificentiſſimo, quum Florentiae verſaretur; quod alibi accuratius expendendum mihi propoſui, ubi de ceteris pretioſiſſimis Florentinae Baſilicae Baptiſterii Hierothecis, ac Lipſanis, ſermo rurſum, Deo dante, inſtituetur.*

Sa-

Sacrarum Lucubrationum ἔκδοσιν claudit, & coronamentum imponit Diatribe Doctiſſimi Viri D. Paulli Mariae Paciavdi *ex Clericis Regularibus Teatini, qui me flagitante, dum Sacri Ieiunii tempore Ravennae Chriſtianum populum adloqueretur, & ſalutis ſcientiam daret, quidquid de Crucis varia forma atque ornatu ea in Vrbe, ſacris antiquis monumentis longe refertiſſima, obſervare potuit, atque in coronide non pauca erudita Monumenta, quae deliteſcebant, eruditionis ſuae luce exornavit, atque in apricum protulit, meaeque* Symbolarvm *collectioni augendae egregiam navavit ac praeſtitit operam: cuius etiam Commentarium* de Sacris Chriſtianorum Balneis, *exquiſita eruditione refertum, in ſequentibus proferam.*

Lectoris humanitatem dum mihi bene faventem auguror, ac precor, ſacris hiſce Apophoretis finem imponere auſpicantiſſimum arbitror ipſis aureis verbis Sancti Paulini Nolanae Eccleſiae Epiſcopi, quibus Epiſtolam ſuam XXIV. (*alias II.*) *ad Severum abſolvit,* Crvcem Sanctam *ita extollens*: Sed ſicut ille, non multitudine, nec virtute legionum; ſed iam tum in Sacramento Crvcis, cuius figura per litteram Graecam T numero trecentorum exprimitur, adverſarios pincipes debellavit: cuius myſterii virtute, trecentis in longum

texa

texa cubitis, ſuperavit Arca diluvium, ut nunc Eccleſia hoc ſaeculum ſupernavigat: ita & nos, non noſtris opibus, aut viribus freti, ſed VNICA CRVCIFIXI SCIENTIA, elevemus ad ipſum oculos noſtros, *ut mirificet ſuper nos miſericordias ſuas, qui ſalvos facit ſperantes in se*: quia ipſe eſt *Dominus conterens bella, potens in praelio*: qui nobis & fiduciam dimicandi, & viam vincendi dedit, cum iam triumphantem in ſe ipſo naturam hominis portans, ait: *CONSTANTES ESTOTE*, quoniam *EGO VICI MVNDVM*. *Interim, Humaniſſime Lector, his ſacris lucubrationibus utere felix, et humaniter favere non dedigneris*.

MIHI AVTEM ABSIT GLORIARI
NISI IN CRVCE
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

IN-

INDEX
SYMBOLARVM
QVAE
IN HOC VOLVMINE TERTIO
CONTINENTVR

I.

DEDICATIO OPERIS IESV CHRISTO DOMINO NOSTRO CRVCIFIXO in aeternum laudabili & benedicto. *pag.* III.

II.

PRAEFATIO ad Benevolum Lectorem. *pag.* V.

III.

INDEX MONVMENTORVM Venerandae Antiquitatis Sacrae, quae in hoc Volumine nunc primum adferuntur, & inluſtrantur. *pag.* XV.

IV.

In Graecam pervetuſtam Iconem LIGNI SS. CRVCIS in Murianenſi Monaſterio S. Michaelis adſervatam, OBSERVATIONES D. Anſelmi COSTADONI Veneti, Monachi Ordinis S. Benedicti, e Congregatione Camaldulenſi, ac eiuſdem Monaſterii Bibliothecarii etc. *a pag.* 1. *ad pag.* 70.

V.

DE MITRATO IESV Chriſti Crucifixi Capite, ſculpti in VITALI LIGNO SS. CRVCIS, quod ſervatur in The-

Theſauro Baſilicae Baptiſterii Florentini, Comentarius Ant. Franciſci Gorii, eidem Baſilicae Praepoſiti, quem praeit Proemium. *a p.* 71. *ad p.* 208.

VI.

PAVLLI MARIAE PACIAVDI Cler. Reg. Presbyteri de veteri CHRISTI CRVCIFIXI Signo, & antiquis CRVCIBVS, quae Ravennae ſunt, Diatribe. Adcedunt Monumenta alia nondum edita. *pag.* 225.

MONVMENTA SACRA ANTIQVA

Tabulis aereis inciſa

ADLATA ET INLVSTRATA

In hoc SYMBOLARVM VOLVMINE III.

I.

TAbula eburnea pervetuſta, anaglypho opere ſculpta, in qua repoſita inſignis particula LIGNI SS. CRVCIS, quae Venetiis adſervatur, & adoratur in Eccleſia Monaſterii Murianenſis S. Michaelis. *pag.* 9.

II.

Vetus Inſcriptio ad eandem LIGNI SS. CRVCIS particulam pertinens. *pag.* 57.

III.

Icon CRVCIS e LIGNO SS. CRCIS Domini noſtri IESV CHRISTI, quae adſervatur, & adorationi Fidelium exponitur in Baſilica Baptiſterii Florentini. *pag.* 86.

IV.

IV.

Num. I. Adorabile CHRISTI D. N. MONOGRAMMA exaltatum in medio Salvatoris noſtri, & S. Pauli Doctoris Gentium. Monumentum ex aere eiuſdem magnitudinis, olim apud primaevos Chriſtianos in uſu; ut videtur, ſacrae penſilis Lucernae ornamentum, quod exſtat in Muſeo Goriano. Adfertur *pag.* 128 *&* 135.

Num. II. in eadem Tabula exhibetur vetuſtiſſimi Calicis Miniſterialis pictura, in qua Sacroſanctum CHRISTI NOMEN divino Monagrammate expreſſum, columellae impoſitum, & exaltatum ſpectatur, de quo *pag.* 138 *&* 139.

V.

Num. I. & II. CRVCES duae vetuſtiſſimae cum Imagine CHRISTI REDEMPTORIS, e Muſeo, & Opere Cl. Ioannis Baptiſtae Caſalii Romani de Veter. Chriſtianorum Ritibus depromtae, aerea in Tabula ſculptae. *pag.* 172.

Num. III. in aedem Tabula complures Pontificales MITRAE omnium vetuſtiſſimae exhibentur, quae in Capite X. Commentariis inluſtrantur.

MONVMENTA SACRA

TABVLIS BVXEIS INCISA

SAcroſancti MONOGRAMMATIS Chriſti Domini varii Iconiſmi ex priſcis ſacris Monumentis adlati, & inluſtrati Cap. VI. *pag.* 120. 125. 126. 133. 140. 145. 148. 157. 164.

Sanctiſſimae Crvcis ſchemata duo inter Hieroglyphica Aegyptiorum, ſculpta in Obeliſco nuper Romae invento, & in totius Vrbis luce expoſito *pag.* 153.

Gemma Chriſtiana annulo inſerta, e Muſeo Barbarino depromta, accuratius quam apud Cl. Aringhium edita, in qua Christi Domini Crvx, cum admirabili Monogrammate coniuncta, litteris & ſymbolis ornata ſpectatur.

In Pavciavdiana Diatribe varia Crvcis Dominicae Shemata ex antiquis Monumentis delineata adferuntur *pag.* 221. 224. 228. 232.

Gemmae antiquae Icon exhibetur *pag.* 240.

IN

IN GRAECAM PERVETVSTAM ICONEM
LIGNI SS. CRVCIS
IN MONASTERIO
S. MICHAELIS DE MVRIANO
ADSERVATAM
OBSERVATIONES
ANSELMI COSTADONI
VENETI

Monachi Ordinis S. Benedicti *e Congregatione Camaldulenſi, ac eiusdem Monaſterii Bibliothecario*

Ad Amplissimvm Senatorem
FLAMINIVM CORNELIVM

In signo victoriae Victorem colimus, et adorando CRUCEM, Ipsum, qui Crucifixus est, Adoramus.

S. Petrus Damian. in Homil. XXXXVIII.

FLAMINIO CORNELIO

SENATORI AMPLISSIMO

A N S E L M V S

Hvmilis Presbyter & Monachvs

F.

EA *eſt ſtudiorum tuorum pietas, cultuſque erga Te meus,* Senator Amplissime, *ut placuerit Opuſculum hocce Tibi offerre. Totum*

Te non diſtrahunt graviora Reipublicae negotia, quibus ſatis ſuperque oneratus es; Litterarum etiam, atque Eccleſiaſticae Hiſtoriae ſtudia, & ſtudioſos utraque manu foves. Quantum enim Tibi curae ſit in colligendis, diſcutiendiſque Monumentis ad Venetas Eccleſias, Sanctoſque ſpectantibus, ſatis conſtat. Nulli labori peperciſti, ut loculos omnes, omneſque latebras luſtrares, & quidquid in iis Eccleſiaſticam redoleret antiquitatem colligeres: ut hinc ex ſtudiis tuis perutile Opus conficere poſſis de Venetis Eccleſiis, ac de Sanctorum Lipſanis, quae in iiſdem adſervantur. Quod ſaxit Deus; nimirum, ut haec ſacra Venetiarum, ut ita dicam, Hiſtoria in lucem proferatur. Et ut plane cognoſcas, quid adlaboraverim poſt veſtigia tua, en, VIR CLARISSIME, *Commentariolum inſignis portionis* LIGNI SS. CRVCIS CHRISTI IESV, *quae in hac noſtra Eccleſia ſervatur. Solis monumentis non contentus, Syntagma conſarcinare ſtatui ex notis multis, multiſque obſervationibus, quas in pluribus Auctoribus, praecipue Graecis, eorumque Illuſtratoribus animadvertere libuit. Totum*

hoc-

hocce Opuſculum meum in Sectiones divido, quarum poſtremae duae ad SS. LIGNVM *ſpectant; ceterae omnes ad Iconem ipſam. Excipe ergo,* SENATOR PRAESTANTISSIME, *benignoque favore complectere hunc, qualiſcumque ſit, laborem, ceteriſque Tuis de me meritis illud maximum adde, ut Obſervationes haſce meas legens, eas corrigas, quae non placent, eas ſuggeras addendas, quae recto ingenio, iudiciove Tuo probabuntur.*

INDEX CAPITUM.

I. D*Eſcriptio Iconis.*

II. *De lemmatibus Graecis huius Iconis.*

III. *De titulo* Ὁ Ἅγιος, *& de Conſtantini Magni cultu.*

IV. *De Nimbo, ſeu Diademate.*

V. *De Coronis Impp. Conſtantini, & Helenae.*

VI. *De Veſtibus Impp.*

VII. *De Mappa, ſeu Volumine.*

VIII. *De Globo, Sceptroque.*

IX. *De Symbolis Evangeliſtarum.*


X. *De ipſa SS. Crucis portione.*

XI. *De huius Iconis aetate.*

XII. *De Iconis Translatione.*

XIII. *De Cultu, & Miraculis eiusdem portionis SS. Crucis.*

XIV. *De ſegmentis S. Crucis alib translatis.*



Digitized by Google


ΚΩΝCΤΑΝ ΤΙΝΟC
Η ΑΓΙΑ ΕΛΕΝΗ

OBSERVATIONES

IN GRAECAM PERVETUSTAM ICONEM

LIGNI SANCTAE CRUCIS

CAPUT I.

Deſcriptio Iconis.

ICONIS ectypon aere inciſum, FLAMINI SENATOR, ad frontem huius Diſſertationis exhibui; ſed hoc ferme quartam partem magnitudinis verae Iconis repraeſentat; nam eius longitudo eſt unciarum Veneti pedis x. cum dimid. latitudo XVI. cum dimid. & craſſitudo II. Apſidem Orientalis nucis lamina aurata cooperit; verum laminae pars, quae marginem, ſeu ornatum efformat, ex cupro deaurato eſt: altera vero pars, quae aream veſtit, ex argento itidem inaurato eſſe dignoſcitur.

 3. Opus

3. Opus forma , characteribus , & imaginibus (id quod uno intuitu deprehendere quiſque poterit in ectypo) plane Graecanicum eſſe nemo non videt , cui etiam modica rerum Graecarum notitia inſit . Graecis medii , & inferioris aevi mos fuit huiuſmodi auratas Iconas condere , & in ipſis Lignum SS. Crucis inſerere . Nobilis Amalphitanus, Caſinenſi Monaſterio obtulit auream Iconem, in qua locata erat non exigua portio eiuſdem SS. Ligni , quam e Palatio CPolitano Imperatoris Michaëlis, ipſe abſtulerat tempore coniurationis a Nicephoro Botoniata conflatae, anno 1078. ut Leo Oſtienſis adnotat (1), ſeu cum Baronio in coniuratione , quam ipſe Nicephorus paſſus eſt anno 1080. (2) In Monaſterio Benedictino S. Crucis Bonawerdae peninſulae Danubii , tabula , ſeu iconiſmum adſervatur aurata lamina indutum, ubi inſignis pars Sancti Ligni in forma geminae Crucis Hieroſolymitanae diſpoſita conſpicitur . Eam Mangoldus Werdenſis Comes e Graecia ſecum adtulerat , dum CPoli , nomine Conradi Salici Imperatoris legationis munere fungeretur , obtulitque eidem Monaſterio , quod de novo ipſe conſtruxerat circa annum 1030. Ita pariter a Wadingo (3) deſcribitur celebris illa Tabula Cortonenſis , quam CPoli ſecum detulit Frater Elias diſcipulus S. Franciſci , quae prius uſui fuerat Imperatoris Nicephori , inde Stephani Scewophilacis , ſive Cuſtodis rerum ſacrarum , quamque dono dederat Eccleſiae Sanctae Sophiae eiusdem Imperialis Vrbis . Alias huiuſmodi Tabulas CPoli Ve-

(1) Chron. Caſin. Lib. III. Cap. 55.
(2) Ziegelbaur in Hiſtor. Didactica de S. Crucis cultu in Ordine Benedictino pagg. 29. & 157
(3) Annal. Minor. T. XI. pag. 120. novae edit.

Venetias aſportarunt Veneti, cum ſeculo XIII. ipſam Imperialem Vrbem una cum Gallis ceperunt, quae etiamnum adſervantur in Theſauro Ducalis Baſilicae S. Marci, Verum de iis, & de aliis bene multis, quae alibi cuſtodiuntur, ne nimis longus ſim, loqui omitto. Hoc ſolum admoneo, Latinos imitatos fuiſſe morem hunc Graecorum; ſervatur enim in proximo noſtro Monaſterio S. Mathiae penes Murianum inſignis portio eiuſdem Sacri Ligni in aurata Tabula, quae quidem nullum exhibet Graecitatis characterem. Eam ex teſtamento ipſi Monaſterio reliquit Georgius Baſilius Patricius Venetus, de Paroecia S. Fuſcae, anno 1385. die 26. Februarii: quod teſtamentum conſcripſit (1) Baſilius Daruaſius Presbyter S. Nicolai Venetiarum.

4. Qua vero aetate haec Icon noſtra elaborata ſit, incertum; at ex iis, quae mox dicturus ſum, ante XI. ſeculum exſtaſſe non improbabiliter exiſtimo, ut & ex §. XI. clarius colligetur. Ab explicatione Graecarum litterarum exordiar, quae longius poſtulant examen.

CAPVT II.

De Lemmatibus Graecis huius Iconis.

5. AD latera Conſtantini, Helenaeque ſculpta haec lemmata conſpiciuntur. Ⓐ KωN-CTANTINOS. H AΓIA ЄΛЄNH: *Sanctus Conſtantinus. Sancta Helena.* Littera A incluſa in littera O praeponitur voci CωNSTANTINOS cum non ſatis bene conſpiciatur primo intuitu, aegre

(1) Exſtat in Tabulario eiusd. Monaſterii.

aegre viſitur ; & revera primo adſpectu putabam caelatorem ſignum triangulare pro ſpiritu articuli O ſculpſiſſe , ſicuti in Graeco Codice membranaceo noſtrae Bibliothecae num. 358. ſeculi circiter XI. Homiliarum S. Ioannis Chryſoſtomi viſitur in initiali omicron, a Calligrapho Niceta auro deſcripto , in quo conſpicitur parum diſſimilis ſpiritus articuli . Huiuſmodi ſpiritus multo ante accentus adhibuerunt antiqui . Vir Cl. Dominicus Brichierius Columbus, Patricius Finarienſis in antiquis rebus praecipue Graecis peritiſſimus, qui dum Vindobonae verſaretur, Caeſaream Bibliothecam Codicibus potiſſimum Graecis refertiſſimam adſiduo labore , ac ſtudio perluſtravit, Florentia ad me ſcripſit, ſub oculis paene ſemper habere ſe pulcherrimum Caeſareum Codicem Hippocratis, quem diligenti cura iam tum conferebat, & in quo accentus ſaepenumero deerant, nunquam vero ſpiritus. Obſervatis tamen alias exemplis in priſcis artificibus Graecis includendi ſcilicet minutulum a in O, tunc praecipue cum locorum anguſtiae non paterentur expreſſionem integram vocis ΑΓΙΟΣ ; luce clarius adgnovi etiam in noſtro O, de induſtria minuſculum A incluſum ſic Ⓐ fuiſſe. Rem etiam contuli cum viris peritiſſimis, poſt Sodales meos , nullusque ferme amplius ea de re dubitavit.

6. Primum exemplum reperi apud eruditiſſimum virum Iohannem Ciampinum (1) in Synopſi de ſacris Aedificiis Conſtantinianis , ubi producitur muſivum opus , quod conſpiciebatur in apſide , ſeu tribuna Baſilicae Vaticanae, a Conſtantino Magno erectae, quodque anno 638. refecerat Seve-

rinus

(1) Pag. 42.

rinus Papa (1), ac reſtaurarunt ſubinde Innocentius Papa III. & Benedictus XII. In hoc igitur muſivo ad latera Imaginum S. Petri, & S. Pauli lemmata perpendiculari ordine conſcripta Graecis litteris ex una, Latinis ex altera eorum parte legebantur hoc modo

Ⓐ	S͡CS	S͡CS	Ⓐ
Π	P	P	Π
A	A	E	Є
V	U	T	R
Λ	L	R	
O	U	U	O
C	S	S	S

Ex quo clariſſime patet eodem modo, quo Latini (2), *Sanctus* brevi nota conſcribebant, nempe ſolis litteris S͡CS cum linea deſuper addita; ita & Graecos A in O includendo Α῞γιος digramma breviori forma expreſſiſſe.

7. Alterum exemplum exſtat apud doctiſſimum virum Iacobum Gretservm (3), qui in medium adtulit deſcriptionem S. Crucis, quae Traiecti ad Moſam (vulgo *Maſtricht*) in Deiparae Templo magna colitur religione. Ad extremitatem ornatus eiusdem S. Crucis conſpicitur circulus, qui ima-

(1) Anaſt. Bibliot. in Severino.
(2) Fontaninius in Diſco Chriſtiano pag. 40.
(3) Oper. T. III. edition. Ratiſpon. 1734.

Imaginem praefert S. Demetrii, & lemma ſequens hinc inde legitur

Ⓐ	T	Ⓐ	P
Δ	P	Δ	
H	H	H	H
MH	O	M	O
	C	H	C

Quod lemma a Bernardo Bauhuſio Soc. Ieſu, qui Traiecto ad Gretſerum eiusdem Crucis ectypon una cum adnotationibus miſit, hiſce verbis explicatur: Ⓐ *incluſo* Ἅγιον, Sanctum *denotat: & quidem S. Demetrium celeberrimum Theſſalonicae, & in tota Graecia Martyrem*. Incluſum A Ἅγιον, *Sanctum* profecto denotat; ſed totum digramma Ⓐ explicandum videtur Ὁ Ἅγιος. Nimirum magnum O articulum Ὁ repraeſentat, & minutulum A, Ἅγιος. In Codice ſeculi X. (1) Ducalis Bibliothecae Divi Marci, imagines cernuntur SS. Theodori, Demetrii, Georgii, Procopii, & Mercurii, quorum digrammata Ὁ ἅγιος, haud diſſimilia noſtro adparent. In altero Codice eiusdem X. ſeculi Bibliothecae Coislinianae (2) exſtat depicta effigies S. Iohannis Theologi hoc ipſo digrammate Ⓐ. Alia quoque plurima exempla viſuntur in Codicibus, & nummis, ac praecipue in aliquibus Conſtantini Ducae, & Michaëlis Comneni (3).

8. Et

(1) Bibliot. Graeca Divi Marci pag. 18.
(2) Montfaucon Biblioth. Coisliniana Par. I. pagg. 63. 64.
(3) Famil. Byzantin. num. XXVI. & XXVII.

8. Et ne characterum ipſorum forma obſervationibus minime careat, breviter animadvertam, omnes noſtrae Iconis litteras eſſe quadratae, & rotundae formae; quod ſatis antiquam earum aetatem exprimit: nam, ut peritiſſimus Bernardus Montfauconius e Congregatione S. Mauri Monachus, adnotavit (1), *rotundus, & quadratus character, poſtquam accentus adſcribi ceperunt* (nimirum ſeculo circiter ſeptimo), *a priſca forma degeneravit, ita ut litterae anguſtiores, longioreſque exararentur*. A *alpha*, quod in articulo O *omicron*, viſitur, ea ſcripta eſt forma, qua laudatus Auctor (2) admonuit in vetuſtiſſimis paſſim Codicibus inveniri. Aliae autem Iconis *alpha*, priſcae, ſed vulgaris formae ſunt. Tranſverſa linea eſt aliquantulum inclinata, quod ante x. ſeculum in Codicibus paſſim animadvertitur. K, quod ab adſueta, & vetuſta forma paululum differt, a vii. ſeculo uſurpari incepit. ω pro Ω ab Auguſti Imperio in Nummis, & in Marmoribus paſſim, & in Codicibus cuiuſvis aetatis. C pro *ſigma* Σ, in libris vetuſtioribus quotquot unciali (ut vocant) charactere deſcripti ſunt, C ſemper legitur: nam Librarii faciliores, brevioreſque calami ductus ſectati ſunt (3). V. Cl. Anſelmus Bandurius, Monachus doctiſſimus e Congregatione Benedictino--Melitenſi (4) verba faciens de porticu CP., cui nomen erat ſigma, ex ſemirotunda eiusdem forma, adnotat ex Ducangio falli Spanhemium, qui ait, litteram C vetuſtiorem fuiſſe Σ, ex quodam Agathonis apud Athenaeum

[1] Palaeograph. Lib. III. Cap. 1.
[2] Ibid. Lib. IV. Cap. 10.
[4] Ibid. Lib. II. pag. 153.
[4] Comment. Antiq. CP. Lib. 1. n. 58.

naeum loco. Sicuti & falli Ducangium, litteram C pro Σ vix reperiri ante Domitiani aevum, cum ex Nummis atque Inſcriptionibus aliter conſtet. Sigma autem ad finem verbi KωN-CTANTINOS, ad Latinum S adcedit. Auguſtorum aevo, & hoc a Latinis ceperunt Graeci, potiſſimum ad finem verborum, & promiſcue uſurparunt, uti frequentiſſimas huiuſmodi commutationes praeferunt Inſcriptiones veteres. Exſtat penes me piſcis metallicus, qui apud veteres Chriſtianos, ut notum eſt, figuram exhibebat Ieſu Chriſti. Super ipſum ſculpta eſt unica vox CωCAIC cum littera C in fine. De hoc Antiquitatis Chriſtianae eximio monumento forſan alia data occaſione Diſſertationem inſtituam. In littera ꟷH adparet in linea interſecante duas parallelas alia lineola interſecans lineam horizontalem maiorem: porro uſus ſic deſcribendae huiuſce litterae anterior eſt uſu accentuum, ut me humaniter admonuit idem eruditiſſimus Vir BRICHIERIVS COLVMBVS ſuperius laudatus. In ceteris Iconis litteris ſi quae diverſitas notetur, ſatis liquet a Caelatoris rudi opere profectam fuiſſe. Huiuſmodi Caelatores, imo & facilius ipſi Calligraphi, aliquando etiam non ſui ſeculi, ſed praecedentium ſeculorum characteres imitabantur, ut animadvertit MONTFAVCONIVS (1), quod difficiliorem reddit adſignationem manuſcriptorum, & characterum aetatis.

9. Demum de perpendiculari ſcribendi forma praeter adlata exempla, plura paſſim videre licet in Ciampini, Ducangii, Montfauconii, Bandurii, aliorumque Operibus. Mos hic antiquis, Graecis

[1] Biblioth. Coisliniana p. 193.

cis aeque, ac Latinis inoleverat praecipue in ſitus anguſtia. Itidem morem hunc adnotandi Sanctorum imaginibus eorum nomina prioribus Eccleſiae ſeculis iam invaluiſſe commemorat V. Cl. Philippus BONARROTIVS; imo antiquiori aevo in Picturae artis exordiis viguiſſe (facile ut magis diſtingueretur a lepore canis) eam tamen conſuetudinem ſectati ſunt prae aliis praecipue Graeci, ut idem doctiſſimus Auctor obſervavit (1).

CAPVT III.

De titulo Ὁ Ἅγιος, *& de Conſtantini Magni cultu.*

10. ANtequam obſervationibus ſuper haec Graeca lemmata finem ponam, quaedam de cultu Divi Conſtantini Magni adtingam; & in primis de titulo Ὁ Ἅγιος, qui *Sanctus* ſignificat. Titulus hic, ut doctiſſimus BONARROTIVS obſervat in praecitato opere (2), nihil aliud ſignificat, quam rem a communi uſu remotam, ideoque in Veteri, Novoque Teſtamento rei omni tradebatur, quae ad Deum, eiuſque cultum ſpectabat. Quamobrem in Eccleſiae exordiis (3) Πιστοὶ, ſeu *Fideles*, *cari Dei*, *Flii Dei*, Ἅγιοι, *Sancti* adpellabantur; quia Dei gens, populuſque electus erant. Etiam *ſanctum* dixere veteres tum Gentiles, tum Chriſtiani quidquid carum, quidquid laudabile eſt, ut colligitur ex veteribus Inſcriptionibus Gentilium, Chriſtianorumque, quas refert

[1] Buonarruoti Oſſervaz. ſopra vetri &c. p. 73.
[2] Oſſervaz. &c. pag. 83.
[3] Bingham. Origin. Eccleſiaſt. T. 1. Lib. 1. Cap. 3. §. 4. pag. 38.

fert Marcus Antonius BOLDETVS (1) vir eruditiſſimus, & in quibus *Sancti*, & *Sanctiſſimi* titulus promiſcue Idolorum, & Chriſti cultoribus tribuebatur.

11. At ſubſequenti aevo a S. Paulino Nolano Epiſcopo, & a S. Hieronymo titulus hic praecipue iis concedebatur, qui iuſtitia, & pietate ceteros praecellebant: nihilotamen minus, & laudati Patres, aliique, hocce titulo condecorabant Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Monachoſque, & Moniales; verum ipſis, & perfectis viris haud ſemper tribuebant. Quare in Kalendario Romano ſeculi IV. medietate conſcripto, quod ab Aegidio Bucherio (2), indeque a Theodorico Ruinart (3), e Congregatione S. Mauri Ordinis noſtri S. Benedicti Monacho doctiſſimo, editum fuit, minime viſitur hic titulus *Sanctus* ad depoſitiones Martyrum, & Pontificum; ſed adparet in altero Kalendario Chartaginenſi ab Iohanne Mabillonio (4) eiusdem Congregationis Monacho celeberrimo primum in lucem prolato, ac inde ab laudato eius ſocio Ruinartio denuo recuſo (5): & cum in hocce Chartaginenſi titulus hic *Sanctus* modo conſpiciatur, modoque non adpareat; coniici quidem poteſt, ut obſervat Bonarrotius, eo temporis iſtam laudabilem conſuetudinem invalere in Eccleſia cepiſſe; ideoque fortaſſe deſcriptum, vel auctum fuiſſe Kalendarium ipſum ex Kalendario alio antiquiore, in quo non exſtabat *Sancti* addi-

(1) Oſſervazioni ſopra i Cimiterj de i SS. Martiri p. 379.
(2) Lib. de Doctr. Temp.
(3) Act. primor. Martyr.
[4] Analect. T. III
(5) Acta Martyr. p. 693.

additio, quae tamen ſemper legitur in Kalendario Silvii Polemeii anni 449. a Cl. V. Iohanne Bollando (1) in medium exhibito.

12. Sicuti Latini titulum *Sanctus*, ita & Graeci titulum Ὁ Ἅγιος adhibuerunt tanquam praenomen ante nomina Sanctorum. Antiqui Graeci Patres, neque Apoſtolos, neque alios hac Ὁ Ἅγιος nota ornarunt; verum ſenſim, ac eodem fere tempore, quo apud Latinos hunce titulum adhibuerunt. Ducangius in *Gloſſario mediae, & infimae Graecitatis* animadvertit titulum Ὁ Ἅγιος tributum ab antiquis fuiſſe Eccleſiae Antiſtitibus, & CPolitanis Imperatoribus; idque adſerit auctoritate Ioannis Tzetzae, & Simeonis Theſſalonicenſis (2): Epiſcopis nempe propter Ordinationem; Imperatoribus (3) propter Chriſmatis unctionem: & ex medii aevi Imperatoribus hocce *Sancti* titulo condecoratum ſaepius habemus Alexium Comnenum (4) in Decreto unionis Synodi a Montfauconio edito, in quo frequenter *Sanctus* adpellatur, nimirum *ab optimo, & ſancto Imperatore noſtro Alexio Comneno . . . . potentem, & ſanctum Imperatorem noſtrum . . . . Sanctus Imperator noſter &c.* Ita & habemus Manuelem Comnenum, uti legitur (5) in notis Codici Regii Pariſienſis n. 2466. *a Sancto Imperatore noſtro Domno Manuele Comneno*, ex verſione Montfauconii praelaudati.

(1) Act. SS T. I. Ianuar. in Praefat.
[2] Iohannes Tzetz. Chil. 9. & Synod- VI. Oecumen. Act. X.
(3) Lib. de Sacram. & de ſacris Ordinat Cap. VII Iohann. Cantacuzen. Lib. I. Hiſtor. Cap. 41. Codinus C. 17. n. 18. Theophylact. Archiep. Bulgariae Epiſt. 12. & 34.
(4) Biblioth. Coiſlinian. p 103. &c.
(5) Palaeograph. Graeca p. 47.

13. Hac igitur ſanctitatis nota cohoneſtati fuerunt ab Eccleſia Graeca Conſtantinus Magnus, & Helena, & non tantum, ut Imperatores, ſed praecipue ut veri, & recogniti Sancti. Sanctorum enim cultum una ſimul eisdem tribuit Graeca Eccleſia, eodemque die XXI. Maii, ut in Menaeis, & in Menologiis Graecis videre licet. Fuſe de iis agitur in Menologio Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris, quod ceteris Menologiis praeſtantius mihi videtur, quodque edidit ex verſione Clementis XI. Pont. Max. doctiſſimus eiusdem Nepos Annibal Albanus S. R. E. Cardinalis, typis elegantiſſimis Vrbini anno 1727. Romana Eccleſia Divam Helenam Auguſtam, utpote Sanctam, ſemper venerata eſt, & teſtantur Eccleſiae eius nomini ſacrae, quae paſſim conſpiciuntur. Exſtructa fuit Venetiis Eaclefia in eius honorem ſtatim poſt translationem eiusdem corporis ex Vrbe CP. Venetias, quae, teſte Dandulo, facta fuit ſeculo XIII. & cui Eccleſiae modo poſt Canonicos Auguſtinianos inſerviunt Monachi Ordinis S. Benedicti e Congregatione Montis-Oliveti. Ac obiter admoneo doctiſſimum eiusdem Congregationis Abbatem D. Paullum Salanum Bononienſem (quem hic libentiſſime nominatum volo honoris gratia, meritoque ſuae virtutis) prae manibus nunc habere Diſſertationem ad comprobandam identitatem huiusce ſacri Corporis.

14. Porro Conſtantinus, etſi eius nomen ex Eccleſiaſticis Diptychis *inter ſacra myſteria impraetermiſſae commemoratur, cum aliis Orthodoxis Imperatoribus, qui Eccleſiam Dei exaltaverunt*, ut ad Michaelem III. Imperat. CP. ſcripſit Nicolaus I. Pont. Max. qui ſeculo IX. floruit; attamen

Lati-

Digitized by Google

Latini eum Sanctorum faſtis adſcribere recuſarunt; adeout ne quidem in Martyrologio Romano, quod aliquam tantum ſanctitatis laudem iuxta Eccleſiae mentem adfert, nominetur; facile quia S. Hieronymus in *Chronico*, Lucifer Calaritanus in *Lib.* I. *ad Conſtant.* Severus Sulpitius *Lib.* II. *Hiſt. Sacr.* Ruffinus *Lib.* I *Hiſtor. Eccleſ. Cap.* 17. aliquam Arianiſmi notam ei tribuerunt, a qua non ſatis, etſi eruditiſſime, vindicarunt Cll. Continuatores (1), Act.SS. (2), & Natalis ab Alexandro Ord. Praedicatorum Vir doctiſſimus: quin *eiusdem Canonizationis cauſam, ſi Romae introduceretur* hic obex *in ſui ingreſſu ſuffocari deberet* (3), ut animadvertit Sapientiſſimus, ac Sanctiſſimus D. N. BENEDICTVS XIV. Pont. Opt. Max. in Opere de *Canonizatione*, ubi tot tantaque cernuntur maxima doctrina, ſelectaque eruditione conſcripta. Nihilominus in Latina Eccleſia cultum habuiſſe, praecipue in Anglia, ubi ortus Conſtantinus creditur, & impraeſentiarum habere in Belgio, in Bohemia, in Sicilia, & in Calabriae Provincia erudite pro more adnotarunt laudati Continuatores. De Eccleſiis autem penes Graecos Divo Conſtantino excitatis heic ſermonem non inſtituo. Percenſere tamen libet in CP. ditione nonnullas excitatas fuiſſe, nempe Monaſterium S. Conſtantini (4) in Arcadianis; Oratorium, quod Baſilius Macedo conſtruxit in eius Palatio (ex illis ſuburbanis in Thracia) teſte Porphyrogenito (5); & alteram aedem

[1] Tom. V. 21. Maii.
(2) Hiſtor. Eccleſiaſt. Saec. IV. Diſſert. XXIV.
[3] Par. II. C. XXXVI, n. 16. edit. Patav.
[4] Leo Grammat. p. 472.
[5] Baſilius Porphyrogenita in Macedonis Vita Cap 60. Scylites pag. 588.

dem Monaſterii ſiti verſus Ciſternam Moceſiam; uti & in Eccleſia magna, & in Aede Apoſtolorum, SS. Conſtantini, & Helenae memoriam, & ſynaxaria celebrari aiunt Menaea ad diem XXI. Maii, ut Langius (1) adnotavit.

CAPUT IV.

De Nimbo, ſeu Diademate.

15. NOnnullis fortaſſe argumentum ſanctitatis Conſtantini M. eſſe videbitur nimbus, qui etiam, ſed improprie, diadema adpellatur, quique capitibus noſtrarum imaginum circumſtat. At aequivocum ſignum omnino eſt, quod olim promiſcue ſanctis, & viris illuſtribus tribuebatur. Hanc honoris notam ab Aegyptiis derivantem Romani ſumpſere, qui eo inſigni Deorum aeque ac Imperatorum capita ornabant pro maiore cultu ornare conſueverunt. Quare Servius (2) ait: *Proprie nimbus eſt, qui Deorum, & Imperantium capita, quaſi nebula clara, ambire fingitur*. Quamobrem Chriſtiani inter varios uſus, quos ab Gentilibus mutuati ſunt, fuit uſus nimbi ad honeſtandas effigies tam Chriſti Ieſu, Angelorum, & Sanctorum, quam illuſtrium Virorum. Quatuor primis Eccleſiae ſeculis hic mos non fuit adeo frequens, & communis inter Chriſtianos; immo potius perrarus, ut deducitur ex parvis monumentis adhuc ſubſiſtentibus horum temporum. Nonnulli adfirmant v. ſeculo apud Chriſtianos hunc morem invaluiſſe; alii ſequenti ſeculo VI. ut refert idem Auctor. Verum Pa-

[1] CP. Chriſtiana Lib. IV. n. 24.
(2) In Lib. III. Aeneid. verſ. 590.

Pagius (1) *magnopere obſervandum eſſe*, ait, *Chriſtianos veteres, ferme primis quatuor ſeculis, nec Chriſto, nec Apoſtolis, nec ulli Superum eiuſmodi circulos adhibuiſſe. Quod vel ex Tumulis Romanis apud Aringhium in Roma Subterranea manifeſtum eſt; in quibus Tumulis Chriſti, & Apoſtolorum, aliorumque ante Chriſtum Divorum longe plurimae imagines nudis captibus ſine circulis ſculptae cernuntur. Sunt hae Tumbae pleraeque Conſtantino Magno, aut aequales, aut ſuppares*. Cl. Pagius penitus non negat iisdem prioribus Eccleſiae ſeculis ad exornanda Chriſti, Sanctorumqae capita nimbo Chriſtianos uſos fuiſſe: nam & ipſe animadvertit, ut puto, Aringhium (2) cum hocce nimbo protuliſſe Chriſti Ieſu, & Sanctorum ſchemata Coemeterii Pontiani, temporibus Conſtantini M. (3), & vetuſtiſſimam imaginem S. Pauli Coemeterii Priſcillae, cui eſt inſcriptio PAVLVS PASTOR APOSTOLVS; ſicut in duobus orbiculis vitreis (4) antiquiſſimis effigies Chriſti, & Deiparae eodem dignitatis circulo exornantur. In aliis huiuſmodi rotundis vitris in veterum Chriſtianorum Sepulcris adinventis, & a BONARROTIO (5) eximia doctrina explicatis, ſimiliter laudatae ſacrae Imagines nimbo decoratae cernuntur. Boldethus (6) alia in aliis vitris exempla pro more eruditiſſime exhibet; eiuſque Socius Cl. Marangonius in Notis ad Acta S. Victorini (7), nonnulla pariter hu-

(1) Critic. ad Annal. Baron, ann. 394. n. IV.
(2) Roma Subterr. T. I. pagg. 379. 383.
[3] Ibid T. II p. 273.
(4) Ibid. p. 689.
[5] Tatb. 4. 5. 9. 17.
(6) Lib. I. C. XXXIX.
[7] Pagg. 38. 39.

huiuſce rei monumenta in medium adfert. Sed hac de re ipſe peregit eruditiſſime in alio Opere (1), cui titulus: *Coſe Gentileſche ad uſo delle Chieſe*. Quod certe in eam nos opinionem inducit, ut credamus, quatuor primis Eccleſiae Seculis revera penes Chriſtianos uſum fuiſſe nimbi ad ornandas ſacras Imagines; & v. Seculo, vel etiam iuxta aliquorum opinionem vi. (2) talem conſuetudinem communiorem effectam fuiſſe, &, ut ita dicam, univerſalem. At non ſemper in una eademque tabula, vel muſivo Superum Imagines omnes ſimul nimbo redimitae reperiuntur; nam in muſivo Coemeterii Calliſti a Marangonio (3) relato ſolummodo Ieſus ac S. Petrus nimbum gerunt, ceteris Apoſtolis eo carentibus; in alio vero loco eiusdem muſivi operis proſtant Imagines SS. Petri, & Pauli omnino nimbo minime decoratae. Qui nimbi defectus notatur etiam in ſimilibus antiquitatibus, immo multo poſt in Menologio Baſilii die 1. Setpembris ſolus Ieſus Chriſtus eo redimitur, minime Apoſtoli a lateribus ſtantes. In hoc Menologio notatu dignum eſt, non ſolos Sanctos Martyres caput praeferre nimbo cohoneſtatum, ſed etiam (4) Tyrannos e regione ipſorum pictos. Sicuti etiam Patres Concilii Niceni II. una cum Imperatore Conſtantino filio Irenis (5) nimbo decoratur. Sed varia erat forma horum nimborum, quia pictores Chriſtiani aureos illos Sanctorum, & Imperatorum Chriſtianorum, argenteos, rubros, virides, & coeleſtes efformabant, illos

[1] Cap. xxxv.
(2) Bonarrotius Oſſervaz. pag 58.
[3] Act. S. Victorini not. p 41.
(4) ix Octob. ix. Novemb. xxix. Decemb.
(5) xii. Octob.

illos Tyrannorum, & Regum Gentilium, ut bene diſtinxit BONARROTIVS (1).

Porro haec nimborum conſuetudo poſt tempora Iconomachorum ſenſim pro viris non ſanctis ceſſavit; & praecipue cum ſacrarum Imaginum cultus reſtitutus fuit, Sanctorum tantummodo Imaginibus fuit deſtinata. Qui Iconomachi, & Iconoclaſti exſtincti fuerunt ſeculo IX. & praecipue poſt mortem Imperatoris Theophili, quae accidit anno 842. quo Theodora Auguſta, & ſola dominans (2) penitus caput praecidit illius impiae haereſis, atque inſtituit annuum feſtum Orthodoxiae in memoriam reſtitutionis ſanctarum Imaginum. Id aperte etiam colligitur (3) ex numiſmatibus Imperatorum illius aevi, in quibus Ieſus, Deipara, Sanctique ſimul cum nimbo repraeſentantur, eo carentibus Imperatoribus. Si vero eodem aevo, indeque uſque ad Imperii CP. defectionem, quaedam Principum iconae nimbo ornatae cernantur, hoc provenit potius ab affectatione artificum, qui adſentabantur Principibus illis viris. Huius generis mihi videtur illa eſſe, quam refert ex Graecanica Tabella Codicis Regii Pariſienſis num. 3058. doctiſſimus Vir Anſelmus BANDVRIVS Raguſinus, e Congregatione Melitenſi, vulgo *di Meleda*, Monachus Benedictinus in *Commentario Antiquitatum CP.* (4). Haec tabella quarto loco effigies exhibet Iohannis Paleologi Imperatoris, & Ioſephi Patriarchae CP. qui Ioſephus obiit Florentiae anno 1439. ubi

B 4 una

(1) pag 63.

[2] Cedren. Hiſt. Compend. pag. 539. edit. Pariſien. & Notae poſter. Guilielmi Xylandri.

[3] Cangius de Famil. Byzant. pag 128.

[4] In Tom. XXII. Hiſtor. Byzant. pag. 990.

una cum eodem Imperatore Concilii Florentini cauſa morabatur; in utraque effigie caput nimbo redimitur; cum conſtet neque Iohannem, neque Ioſephum Sanctorum albo unquam adſcriptos fuiſſe. Inpraeſentiarum apud Mogolenſes radiato nimbo Imperatorum capita in tabulis exornare mos eſt. Ita depinguntur Tamerlanus, & Oranzeb XI. Imperator, qui obiit anno 1707. ab Nicolao Manutio Veneto, qui in Mogoli regionibus hoc noſtro ſeculo vitam duxit, in ſua Hiſtoria MSS. Mogoli, quae adſervatur (1) in Ducali Divi Marci Bibliotheca, Venetae Reipublicae, donata ab eiuſdem Auctore.

CAPVT V.

De Coronis Impp. Conſtantini, & Helenae.

16. NVnc ad examen revocandae ſunt coronae, quibus ornantur capita Conſtantini, & Helenae in noſtra Icone. Et quidem quoad coronam Conſtantini, Auctor Chronici Paſchalis, ſeu Alexandrini animadvertit, ipſum Conſtantinum M., ad imitationem, ut adnotat Spanhemius, Regum Aegypti, & Orientis, primum fuiſſe ex Imperatoribus in geſtanda corona lapillis ac pretioſis margaritis exornata. Laudatus enim Auctor (2) ait: *Anno* CCCI. *poſt Chriſti in caelos aſſumptionem . . . . Conſtantinus celebravit ludos Circenſes, in quibus diadema ex margaritis, aliiſque lapillis pretioſis confectum primus geſtavit*. Idem repetunt Iohannes Antiochenus (3), cognomento Ma-

[1] Biblioth. Ital. S. Marci pag. 235.
(2) pag. 285. edit. Pariſien.
[3] Chronogr. Par. II. pag. 5.

Malala, & Iohannes Cedrenus (1) Monachus. Sed de radiata corona auctores profecto intelligendi non ſunt; quia in nummis Conſtantinus Chlorus, Conſtantini M. parens, hacce radiata corona redimitus cernitur, praecipue in eo, qui inſcriptionem praefert: VNDIQVE VICTORES. Eam, quam Conſtantinus M. omnium primus adhibuit, explicat Polemeius Silvius (2) in Laterculo: *Conſtantinus ſenior* (ait ipſe) *qui Chriſtianae Religionis miniſtros privilegiis communivit, diadema capiti ſuo, propter refluentes de fronte capillos (pro qua re ſaponis eiusdem cognominis ordinata confectio eſt) quo conſtringerentur invenit, cuius more hodie cuſtoditur*. Ducangius (3) addit de hoc Conſtantiniano diademate, quod *caliptrae ſpeciem praefert, qua totum caput ambitur, vel caſſidis apice, quem τῦφαν vocabant*, decoratae. Duos etiam nummos protulit ipſe vir longe eruditiſſimus, in quorum (4) primo averſae parti inſcriptum legitur: SOLI INVICTO COMITI; & in altero pro lemmate exſtat: VICTORIAE LAETAE PRINCIPVM. Atque in hiſce deſcriptum diadema exbibetur ad inſtar caſſidis. Bulengerus (5) fert ſententiam, Conſtantinum M. primum non fuiſſe, qui adinvenerit, atque uſurpaverit ſimilem coronam; ſed primum, qui eam lapillis pretioſis ornaverit. Revera variant Auctores in adſignanda huic, vel illi Auguſto inventionem huiuſce coronae. Videſis Martinum Schmei-

[1] Compend. Hiſtor. pag. 295. edit. Pariſ.
(2) T. 1. Ianuar. Act. SS. Bolland. in Praefat.
[3] Diſſert. de infer. aevi numiſm. num. XVII
[4] Famil. Byzant. Tab. III. & IV.
[5] De Veſtimentis Pontific. Cap. V. pag. 86.

Schmeizellum (1), qui erudite, ac optime conciliavit ſententias hanc ſuper rem varias, & cum Spanhemio credidit, Conſtantinum Magnum profecto reddidiſſe perpetuum morem huius coronae, cum ante ipſum rarus eſſet, vel non in uſu, utpote ſignum Monarchiae peroſum in Republica Romana.

17. Auguſti, qui regnarunt poſt Conſtantinum, uſi ſunt tali corona, ſed neque ſemper, neque eadem forma ornata, immo varietas multa adnotatur, ita ut quod adparet ex Strada, Goltzio, Patino, Ducangio, aliiſque Collectoribus antiquitatum, nullus fere conſpiciatur poſt Conſtantinum M. Imperator, qui diſſimili corona ab aliis redimitum non habeat caput. Corona, quae in Icone noſtra conſpicitur, mihi videtur eſſe potius illud *camaleucium* καμηλαύκιον gemmis ornatum, quo uſus fuit Iuſtinianus Imp., cui miſſum fuit a Narſete detractum Totilae Gothorum Regi, ut in eiusdem Vita S. Theophanes (2) mentionem facit; & hac de cauſa a Georgio Codino (3), & Procopio (4) nominatur *Iuſtinianeum* Ἰȣςινιάνειον. Et quidem in Baſilica S. Vitalis Ravennae Monachorum Benedictino-Caſinenſium, ab ipſo Iuſtiniano erecta, in maximi Sacelli pariete arae principis ad dexteram etiamnum exſtat vetus teſſellata pictura adhuc integra, a Rubeo (5), a Ciampino (6), a Fer-

[1] De Corona pagg. 154. 155.
[2] Chronograph. pag. 193.
(3) Cap. VI. n 36.
[4] in Anecdotis.
(5) Hiſtor. Ravenn. pag. 197.
[6] Veter. Monum. Tom. II. pag. 73.

a Ferrario (1), & a Ducangio (2), aliiſque edita, ubi ipſe Iuſtinianus hocce tegmine redimitus cernitur, ſicut & in aliquot eiusdem nummis. Poſteriores Auguſti nonnunquam ſimili modo coronati conſpiciuntur in muſivis, & in numiſmatibus, ut in iis Tiberii Conſtantini, Mauricii, Phocae, Heraclii, Conſtantini Pogognati, Baſilii, &c. Cl. autem Vir Iacobus Goar Ordininis Praedicatorum e Congregatione S. Ludovici, qui Georgium Codinum (3) Curopalatam edidit, notiſque eruditiſſimis; ac animadverſionibus illuſtravit, minime dubitat, intelligendum eſſe Cedreni textum, vel potius Chronici Alexandrini, ſuperius adlatum, de Diademate a Conſtantino invento, pro iſto camaleucio, quo Iuſtinianus uſus fuit. In ſchematibus Menologii Baſilii ſaepius memorati ſimillimum noſtro iconis diademati inviſitur, nempe in capite Conſtantini Imp. Irenes filii ad diem XII. Octob. quod ornatum eſt lapillis duplici circulo diſpoſitis, & grandiori ad medium ſito, cum aliis deſuper locatis, prout in noſtra Icone. Hoc tantum in Menologii diademate deſideratur, quod adponitur in Icone nimirum monile ex lapillis, ſeu margaritis compactum ad utraque tempora pendens, verberanſque genas: *atque id eximium, & proprium inſigne Imperatoriae poteſtatis erat*, ut ſcripſit Anna Comnena (4) in Alexiade. Verum monile, quia deficit in Baſilii Menologio, obſervatur in Codice membranaceo eiusdem ſeculi X. Bibliothecae Ducalis S. Marci, ubi in ſchemmate eiusdem Baſilii II. Imper. ſimillima corona cer-

[1] Octav. Ferrar. de re Veſtiar. Lib. I.
[2] Famil. Byzant. num. VIII.
[3] De Officiis CP. num. I. ad Cap. III.
[4] Lib. III. pag. 78. edit. Pariſ.

cernitur pendentibus ad utraſque genas monilibus. Ectypon exhibuit V. Cl. eiusdem Bibliothecae Cuſtos Antonius Zanetti (1), quem honoris cauſſa nomino. Itidem in Codice ſeculi XI. Bibliothecae Coislinianae (2) viſitur in tribus depictis Tabellis Nicephorus Botoniata hacce corona circumdatus, ex qua monilia pendent, & ſuper quam tres globuli facile gemmati adparent, eodem modo, quo in corona noſtri Conſtantini.

18. Quoad coronam vero Sanctae Helenae, primo ſatis conſtat ex Scriptoribus, nummis, & inſcriptionibus, ipſam Auguſtae titulo ornatam fuiſſe. Porro Imperatricis coronae forma varia fuit pro temporum varietate; ſemper tamen ab ea Imperatoris diverſa, ut ex numiſmatibus. Nummum profert Ducangius (3), ubi, ut mihi videtur, Imperatrix radiato diademate, ab eo Iconis noſtrae non abſimili, redimita cernitur. Spanhemius iudicat hoc eſſe numiſma potius ipſius Iuſtiniani; ſed nullam profert rationem. In muſivo opere Eccleſiae Sanctae Caeciliae de Vrbe a Paſchale I. circa annnm 820. erecto, adparet huiuſmodi corona ornata Deipara Virgo una cum decem Virginibus ad eius latera, atque ipſo Infante Ieſu. Ita videtur in ipſo opere aere inciſo, & a Cl. V. Iohanne Ciampinio relato. Viſitur & eadem radiata forma in ſchematibus praememorati Menologii Baſiliani ad diem XI. Februarii, quo feſtum B. Theodorae Auguſtae uxoris Theophili Imperat. Iconomachi Graeca Eccleſia celebrat; ad diem XXV. Novembris, quo S. Aecatarina Virgo Alexandrina illu-

[1] Gracca Biblioth. Divi Marci pag. 18. num. XVI.
[2] Pagg. 134. 135. 136.
(3) Famil. Byzant. num; VII. Iuſtin. & Iuſtinian. Tab. III.

illuſtriſsima ; & ad diem xvi. Decembris, quo Beata Theophano Leonis Imper. uxor a Graecis feſtiva ſolemnitate recoluntur, & cum Sancta Aecaterina, tum Beatae Theodora, & Theophano ſimillimam noſtrae Sanctae Helenae coronam geſtant.

19. Et hic animadvertere lubet nummos aeneos circumferri, qui vulgo *medaglie di S. Elena* vocitantur, & feminarum manibus, quandoque ſuperſtitioſe teruntur; ſed hi *Caucii* ſunt, ut obſervat doctiſsimus Vir, & omnigena eruditione percelebris Sebaſtianus Pauli (1) Congregationis Matris Dei Clericus Regularis: *& vilioris monetae genus eſt*, ait ipſe, *apud Byzantinos, & Latinos recentioris aevi. Cuiacius ita dictos putat* Caucios, *quod caliculi, aut ſcyphi inſtar concavi ſunt*. Vide & Ducangium (2) in Diſſertatione de inferioris aevi numiſmatibus.

CAPVT VI.

De Veſtibus Imperatorum.

20. VAria variis temporibus indumenta geſtarunt Imperatores; ſed de hac veſtium varietate ſermonem hic non inſtituo; quaedam tantum adtingam, quae ad rem noſtram magis facere videntur. Auroclavatas veſtes lapillis margaritiſque ornatas tam Conſtantinus, quam Helena in noſtra Icone ferunt. Veſtis, quae diſtinctius adparet in effigie Conſtantini, eſt *trabea*, quam nonnulli arbi-

(1) Veter. Monum. Tom. II. pag. 156.
(2) Mantiſs. Nummor. Byzantinor. pag. 235.

bitrantur eſſe veterum *latum clavum* , quamque poſterioris aevi Scriptores *ſubarmalem* , indeque *lorum* adpellarunt . De quibus omnibus eruditiſsime pro more agit Ducangius (1) in ſuperius laudata Diſſertatione . *Trabea* eſt latior faſcia gemmis itidem contexta, quae ab humeris retro pendens ex dextro latere per umbilicum tranſverſum agitur, & ſiniſtro brachio ſuperpoſita extrema ſui parte ab ipſo brachio pendula conſpicitur . Hac veſte imprimis utebantur Conſules, immo & ipſi Imperatores, quando Conſulatum gerebant ; ſed quando Conſulatum perpetuum in ſibi ipſis firmarunt, idem inſigne itidem perpetuum ſibi fecerunt. Hoc veſtimenti genere Graeci Imperatores uſque ad Imperii CP. defectionem ſunt uſi ; immo non ſolum Graeci , ſed & Occidentales Imperatores, ut videtur in Codice Auguſtano Friderici II., de quo idem doctiſſimus Ducangius (2), Et hic Cl. Scriptor in eadem Diſſertatione mentionem fecit *de Conſularibus Feminis*, (ita Vlpianus (3) , & Lampridius (4) Conſulum uxores adpellarunt) quae eumdem ac pene ſimilem habitum adhibuerunt, ut colligi poteſt ex iconiſmo, qui in vetuſtiſſimo Codice Dioſcoridis (5) videtur in Bibliotheca Caeſarea , & in medium protulit Lambecius , indeque Montfauconius (6). At melius cernitur veſtimentum Sanctae Helenae noſtrae iconis in Menologio ſaepius citato Baſilii ad diem xi. Februarii , quo ſchema B. Theodorae Auguſtae exhibetur. Etſi Theodorae veſtis tam auroclavata exi-

[1] Num. 5. 6. 7.
[2] ibid. num. 8.
[3] Leg. I. VII. XII. D. de Senat. & Leg. C. D. de Verb. obl.
[4] In Heliogabalo Cap. IV.
[5] Comment. Caeſar. Biblioth. Lib. II. Cap. 8.
[6] Palaeograph. pag. 203.

gemmiſque exornata non ſit, ut noſtra S. Helenae, forma tamen haud abſimilis eſt; & Crux ipſa magna, quae & lapillis, atque margaritis compacta in veſte iconis, animadvertitur in B. Theodorae ſchemmatae eodem in loco, eademque forma pariter clare ſe dat conſpiciendam. In Tabella Codicis Bibliothecae Coislinianae (1) Maria Auguſta, Nicephori Botoniatae coniux, efformatur cum huiuſmodi pretioſa veſte, & cum ea indumenti parte, quae a dextro pede refluens, ac ſurgens, quaſi circulum ad umbilicum deſcribit, ut icon noſtra demonſtrat. Sola Crux in hac Mariae Auguſtae veſte deficit.

Demum animadvertendum hic obiter duco, Imperatoris noſtri calceos, eo modo compactos, ſeu exornatos adparere, quo in iam memoratis Tabellis Bibliothecae Coislinianae conſpiciuntur illi Nicephori Botoniatae Imperatoris.

CAPVT VII.

De Mappa, ſeu Volumine.

21. CONſulum Vxores, ut inquit Iuſtinianus (2) *radiis maritorum coruſcant*; &, ut ait Iulianus Anteceſſor (3) *honorem Conſulariae dignitatis, & maritales inſulas tenent*, geſtabant etiam mappam, ſeu volumen illud in manu, de quo nunc ſermo eſt, & Conſulum ſignum proprium erat. Imperatores, qui, ut ſupra adnotavi, Conſula-

[1] Pagg. 134. 136.
[2] Novell 105. Cap. 105.
(3) Conſtit. 98.

ſulatus honore potiti ſunt, ſigna pariter Conſulatus Auguſtabus tradidere. Hinc eſt, quod cum in Conſtantini, tum in Helenae imaginibus noſtrae Iconis ferre ambo ſiniſtra videntur memoratam mappam, ſeu volumen. Hoc tenebant Conſules, uti & Imperatores, dextera (1) interdum, quandoque ſiniſtra, & chartaceo volumini non diſſimile erat; ideoque volumen fuit nuncupatum, ut ex nummis a Ducangio citatis colligitur. Hos inter nummos laudat illum Aurelii Veri Imperatoris, qui longe ante Conſtantinum Magnum floruit, *in quo Imperator, & Conſul dextram Romae galeatae ſedenti porrigit, ſiniſtra volumen tenens, cum epigraphe* TR. P. VII. IMP. IV. COS. II. Mos ſequitur idem Ducangius: *Eiuſmodi etiam volumen in vetuſtiſſimis palliatorum, vel etiam togatorum (atque adeo mulierum) imaginibus ſiniſtra teneri apud Velſerum* (2), *& Boiſſardum* (3) *paſſim obſervare eſt . . . . Exinde crebrius occurrit in Byzantinorum Auguſtorum nummis, maxime in Conſulari Iuliani Caeſaris; nam bis Caeſar Conſulatum geſſit ann.* 356. *&* 357. *& in nummo aureo Theodoſii iunioris, in quo idem Theodoſius, & Valentinianus III. habitu Conſulari effinguntur; praeſertim vero in Diptychis Conſularibus, & fere ſemper in Tiberii Mauricii, Phocae, & Leonis Iſauri nummis*. In (4) Diptycho illuſtris Bohetii, qui fuit Conſul anno 510. & 522. volumen ponitur in dextera, & Bo-

(1) Ducangius Diſſert. Medii aevi num. XII.
(2) Auguſt. Windelicor.
(3) Antiquit. Roman. Part. III. fig. 51. 147. IV. 56. 57. 119. 123. V. 71. VI. 29.
(4) Giornale de' Letterati d' Italia Tom. XXVIII. Artic. II.

Bonarrotius (1) in Diptycho Baſilii Conſulis ordinarii ann. 541. hanc mappam in eiusdem Conſulis dextera pariter locatam animadvertit. Verum haec mappa inde in aliquo immutata fuit, & *ἀκακία*, *acacia* nuncupata: *fuitque ſaccus ex panno purpureo confectus, codici ſimilis, terra, vel arena plenus*: de quo Georgius Codinus (2) de Imperatorum ornamentis agens, ſic ait: *In ſiniſtra involucrum* (*ſeu pannum ſericum*) *codici ſimile, ligatum mantili; habetque intus cavitatem* (*terram*) *& vocatur* acacia, *quaſi dicat illud: Imperatorem humilem eſſe, ut mortalem; neque propter Imperii faſtigium efferri, neque ſe tumidum iactare debere*. Ducangius (3) effigiem refert Michaëlis Palaeologi cum huiuſmodi acacia; quam effigiem vidi ante Hiſtoriam Paulli Ramuſii *de Bello CP.* editionis Venetae 1634., etſi in aliis Theodori Laſcaris iunioris, eiusdem Michaëlis Palaeologi, & Andronici ſenioris imaginibus, ab Hieronymo Wolphio editis (4), ex Codice Auguſtano Hiſtoriae Georgii Pachymeris, potius in veri voluminis ſpeciem exhibeantur.

22. Nec abs re his adnotare cenſeo, Chriſtum Ieſum, Apoſtolos, alioſque Divos eiuſmodi mappa, ſeu volumine ornatos fuiſſe in antiquiſſimis Chriſtianorum monumentis, uti videre licet in *veteribus Monumentis* a Ciampinio (5) editis, atque inluſtratis. In Codice Vaticano, anno 699.

(1) Oſſervaz. pag. 251.
[2] De Offic. CP. Cap. vi. num. 37.
(3) Diſſert. medii aevi Tab. vi. & Famil. Byzant. num. xl.
[4] Wolph. ad Niceph. Gregor.
[5] Tom. I. pagg. 24. 226. Tom. II. pagg. 60. 148. 153. & 160.

conſcripto effigies Sancti Petri Apoſtoli adparet qui laeva hoc geſtat volumen, quod fortaſſe etiam denotat Evangelium: & Nicolaus quoque Alemannius in Diſſertatione *de Lateranenſibus parietinis* (1) mentionem facit de ſchemate Sancti Pauli Apoſtoli in Othonis II. ſepulcro, qui pariter ſiniſtra ſimile volumen tenet: & in praecitato Menologio menſe Decembri pag. 35. Sancti Abraham, Iſaac, & Iacob eamdem honoris notam in laeva pariter geſtare videntur; ſicuti alii Patriarchae, atque Prophetae, aliique Sancti aliis in menſibus eiusdem Menologii picti geſtant.

CAPVT VIII.

De Globo, Sceptroque.

23. GLobus, atque Sceptrum, quae alia Imperialia inſignia ſunt, cum Imperatorum manibus convenire caelatori minime viderentur in hac noſtra Icone, locata conſpiciuntur in manibus Angelorum, qui in quatuor marginis medietatibus intra totidem areas (quas quatuor ſemicirculi circumſcribunt) cernuntur. Pictoribus frequens mos eſt, ea quae in Tabulis, abſque confuſione deſcribere nequeunt, in ornatis adiicere. Ducangius obſervat in praenominata Diſſertatione *de inferioris aevi Numiſmatibus*, antiquos Auguſtos portaſſe globum nudum ſine ornatu. At Chriſtiani Imperatores longe poſt Conſtantinum Magnum eos Cruce inſignitos geſtarunt. Primus, qui globum detulit, fuit Caeſar Auguſtus, ut ait Iſi-

(1) Cap. x pagg. 86. 88.

Iſidorus (1). *Pilam in ſigno conſtituiſſe fertur Auguſtus propter nationes ſibi in cuncto Orbe ſubiectas, ut magis figuram Orbis oſtenderet*. (Iuſtus Lipſius (2) legit in MSS. Codicibus potius *malis*, ſeu pomis, loco *magis*.) Ideo Auguſti aliquando *Mundi Domini*, ut penes Antoninum (3), & RECTORES MVNDI adpellabantur, ut ex nummis Caracallae, & Didii Iuliani habetur. Et Conſtantinus DOMINVS MVNDI in Romani Obeliſci inſcriptione nuncupatus legitur; ſicuti *Orbis terrarum Dominus* Valentinianus vocatur apud Ammianum (4). Quare Baſilius Seleuciae Epiſcopus (5), ait: *qui Imperatorum imagines aſpiciunt, cum ſtupore demirari ſolent diademate, & clamyde coruſcantes; tum manum denique, quae orbem terrarum in modum ſphaerae formatum digitis geſtare creditur*.

24. Hi globi in nummis frequenter adparerent; ſed ſaepe ſuper hoſce globos ſtant Victoriolae aliquae laureas coronas Imperatoribus porrigentes, ac interdum Cruciculas. Exempla huiuſmodi Victoriolarum frequenter ante, & poſt Conſtantini Magni aevum habentur; exempla vero globorum crucigerorum, ſupra quos nimirum eminent Cruciculae, ut dixi, poſt eiusdem Conſtantini tempora. Nihilotamen minus Nicephorus Calixtus (6) ait, ipſum Conſtantinum in dextra ſtatuae ſuae aeneae, quam ſuper porphyreticam columnam in Foro, ab eo *Conſtantiniano* nuncupato, ipſe locavit,

(1) Lib. XVIII. Cap. III.
[2] Lib. IV. de Militia Roman. Dial. V.
[3] In L. Rhodia D. de iactu.
(4) Lib. XV. & XXIX.
(5) Serm. II. pag. 9.
[6] Hiſt. Eccleſiaſt. Praef. & Lib. VIII. Cap. 49.

vit, adpoſuiſſe aureum malum, cui *veneranda Crux infixa fuit*. Mirum profecto, quod Nicephorus, qui ſeculo xiiii. vixit, tempore Andronici Palaeologi Imperatoris, cui & opus ſuum nuncupavit, hanc ſpecialem notitiam Crucis globo adfixae, ab anterioris aevi Scriptoribus omiſſam, in medium adtulerit: & eo magis, quo ad Alexii Comneni tempora, ut adnotant Anna Comnena (1), Zonaras (2), & Georgius Codinus (3), die quinta Auguſti, anno Chriſti mcvi. vehementiori vento perflante, ſtatua haec deciderit, atque in plurimas partes diminuta fuerit: quare Manuel Comnenus (4), qui eodem ſeculo xii. CP. Imperii habenas rexit, loco eiusdem fractae ſtatuae, Crucem ſupra columnam ipſam collocavit. Si ſuper globum huiuſce ſtatuae Conſtantinus Magnus Crucem infixiſſet, cur non & ſuper globos nummorum, in quibus tamen numquam adparet? Maximo Crucis amore flagrabat Conſtantinus; ideoque Crucis cultum pro viribus invexit: quare in Labaro Crucem pinxit, Cruces inſignes in Foris elevavit, atque in capite, in armis, in nummis, & ubique fere ſignari iuſſit, adhibuitque. Sed quid mirum? cum tot, tantiſque ſcateat erroribus Nicephori opus, uti teſtimonio Criticorum ſatis conſtat.

25. Primus, qui in Byzantinis nummis huiuſmodi erectione Crucis ſupra globum uſus fuit, ut hactenus obſervavi, adparet Valentinianus, qui apud

(1) In Alexiade Lib. xii. pag. 357. edit. Pariſ.
[2) Annal Lib. xiii.
(3) In Notis Meurſianis.
[4] Gyllius Lib. iiI. Deſcript. CP. Cap. iiI. Busbeg. Itinerar. CP.

Digitized by Google

apud Nicaeam Imperator adlectus eſt anno 364. In nummo (1) enim, in cuius poſtica parte legitur: IMP. XXXII. COS. VII. P.P. exſtat figura muliebris galeata, dextera globum geſtans, cui Crux inſidet. Sed in aliis huiuſce Imperatoris nummis, aut nullus globus, aut cum Victoriola deſuper ſita, videtur: & illa in aliis ſubſequentibus Auguſtis, itidem promiſcue. Alterum exemplum habetur in nummo Theodoſii (2) iunioris, qui floruit anno 408. & in quo legitur: GLORIA. ORBIS. TERRAE. ubi Imperator ſtat militaribus ornamentis indutus, labarum dextera, globum crucigerum ſiniſtra tenens. Exempla alia cernuntur in nummis aliquibus Liciniae Eudoxiae, Anaſtaſii, Iuſtini, & Iuſtiniani (3), quorum aevo inde frequentiſſime crucigeros globos videmus. Frequentiſſime, inquam, non ſemper; quia in nummo Philippici Auguſti viſitur ipſe Imperator globum laeva tenens, cui inſiſtit aquila; & in praeclarae antiquitatis Codice Regio Pariſienſi (4) num. 154. Operum S. Gregorii Nazianzeni, praefigitur Tabella, in qua Eudocia Auguſta, Baſilii Macedonis altera coniux, & Deſpotes Leo, atque Alexander eius nati, & ſucceſſive Imperatores, trabea, & camaleucio induti ſunt: & omnes ſimul pariter nudum globum ſiniſtra geſtant, prout in noſtra Icone.

26. Occaſione laudatae Tabellae Codicis Regii pauca de ſceptro loquar. Leo, & Alexander tantum acaciam, ſeu volumen dextera ferunt; at Eu-

C 3

(1) Ducang. Famil. Byzant. num. 11I. Tab. 1.
(2) Ibid. num IV. Tab. II.
(3) Ibid. num XII. Tab. III.
[4] Ibid. pag. 139. edit. Pariſ.

Eudocia, utpote Auguſta, ſceptrum, cui flos, neſcio quis, ſupereminet, dextera gerit. Sceptrum ſane aequale iis, quae eadem manu ſex Angeli tenent noſtrae Iconis. Galliarum etiam antiqui Reges hacce forma ſceptrum (1) portabant. Fortaſſe Auguſtae CP. huiuſmodi ſceptrum ante x. ſeculum ferre prae manibus ſolebant. Imperatores loco Conſularis ſceptri, quod eburneum, vel aureum erat, oblongam Crucem detulerunt; & Phocas pium morem hunc primus invexit. Verum, praeter Crucem, Virgam, Sceptrumve deferebant Impp. CP. iuxta adnotationem Simeonis Theſſalonicenſis Antiſtitis, a Cl. Goaro adlatam in notis ad Codinum Curopalatam (2). *Crucem* (Simeon inquit) *in pietatis argumentum, & acacia ſuſcepta . . . . . inſuper etiam virgam aſſumit non gravem, & duram; ſed levem, & mollem, cum manſuetudine nimirum caſtigandi poteſtate tradita, non cum iracundiae, aut perniciei intentatae motu; neque ut confringat, & perdat*. Huiuſmodi Imperatorum virgam narthecem, νάρθηκα poſteriores Graeci adpellavere, ut praecitatus Ducangius (3) exiſtimat. In Icone noſtra crucifera ſceptra non adferuntur; fortaſſe quod in ipſius Iconis medio Crux exſtat tam inſignis.

27. Verum ſi tropologicus ſenſus tibi magis arrideret, Vir piiſſime, audi Pachymeram in paraphraſi (4) ad librum *de caeleſti Hierarchia*, Divo Dionyſio Areopagitae adtributum: *Virgas Angelorum*, ait ipſe, *deſignare Regiam, & Duca-*

[1] Montfaucon Antiq. Franc. Tom. I.
(2) Cap. VI num. 44.
[3] Diſſert. inferior. aevi Numiſm. num. XXI.
[4] Biblioth. PP. Tom. II. §. 5. pag. 187.

calem poteſtatem, *rectamque rerum divinarum ordinationem*; iuxta illud Apocalypſeos: *& qui loquebatur mecum* (de Angelo aiebat Iohannes (1), *habebat menſuram arundineam, ut metiretur Civitatem, & portas eius*. Globus autem in Angelorum laeva, Mundum, & Civitates eius, quaſi totum pro parte repraeſentat.

CAPVT IX.

De Symbolis Evangeliſtarum.

28. QVatuor Evangeliſtae, qui omnium primi de Cruce Salvatoris noſtri ſcriptis ſuis hiſtoriam mandarunt, adparent ſub animalium ſymbolis, ab Ezechiele (2) viſis, in quatuor Iconis angulis intra totidem areas e ſemicirculis circumſcriptas. Singuli amplectuntur Evangelii volumen, duas alas in dorſo geſtant, habentque caput circumdatum nimbo. Non abſimiles figurae muſivo opere elaboratae Romae viſuntur in Eccleſia S. Sabinae, a Caeleſtino I. Papa conſtructa anno 424. quarum ſchemata edidit V. Cl. Io. Ciampinius in *Veteribus Monumentis* (3), ubi & alia ſimilia protulit Oratorii Lateranenſis, & Baſilicae S. Marci pariter Vrbis teſſellatis picturis anno 774. exornatae. Hiſce addere lubet muſiva illa, quae etiamnum ſpectantur (4) in antiquiſsima noſtra Claſſenſi Baſilica, tertio lapide ab Vrbe Ravenna, ſita ad viam Romanam, cui diligenti ſtudio, ac reli-

(1) XXI. 15.
(2) Cap. 1.
[3] Tom. 1. pagg. 160. 141. Tom. II. pag. 121.
(4) Ibid. Tom. II. pag. 81.

religione dulciſsimi noſtri Ravennatenſes Monachi inſerviunt, quorum ectypa in lucem adtulit aere inſculpta laudatus Ciampinius, non ſine aliquo errore. In hiſce omnibus igitur teſſellatis operibus, Evangeliſtarum ſymbola ſub animalium Ezechielis ſpecie cernuntur, alis, nimboque decorata. Quam ob rem ignoranter extraneum vulgus irridet, aitque Venetorum arbitrio nimbum, alaſque tributas fuiſſe Leoni, qui ſymbolicum animal praefert Sancti Marci Evangeliſtae Venetae Reipublicae Patroni, cum ex vetuſtiſsimo Eccleſiae ritu paſsim hacce forma pictus Divus Marcus reperiatur.

29. Horum autem ſymbolorum diſtributio non ſemper eadem fuit, ſed ad placitum artificum facta; uti videre licet in laudatis aliiſque exemplis apud Ciampinium, ubi modo S. Iohannes, modo S. Lucas, modo alii primarium tenent locum. Addere mihi liceat, Flamini Senator, in noſtra hacce Bibliotheca (1) antiquum membranaceum Miſſale adſervari, in cuius initialibus Evangeliorum litteris Sancti Evangeliſtae coloribus expreſsi ſunt, adſuetis amicti veſtibus; ſed ſymbolicum animalis caput ſolummodo gerunt, deaurato nimbo exornatum: ſicuti & in perantiqua Eccleſia *Paganorum* dicta, Cathedrali Aquileienſi contermina, itidem viſitur, ut ex ſchemate conſtat, quod Cl. V. Iohannes Dominicus Bertolius edidit in libro, cui titulus: *Le Antichità di Aquileia* (2). Verum mos hic plane rudis mihi videtur; quippe qui Aegyptiorum ſimulacris nonnihil accedit, de quibus Montfauconius, aliique egerunt.

30. Ne

[1] Cod. 6

[2] Pag. 399.

30. Ne quid autem circa ornamenta praetermittam, breviſsime adnoto poſtremum ornatum, ſeu marginem floribus, frondibuſque conſperſum eo modo eſſe, quo videtur illud Graecanicae Traiectenſis Iconis, de quo §. 11. mentio habita fuit.

31. Nonnulla argenti ornamenta cernuntur in Icone, quas in ectypo exhibere non curavi, utpote longe ſequioris aevi, nulliuſque momenti. Ea facile ſuperaddita fuere occaſione, qua elapſo ſeculo Marcus Zeno Torcellanus Epiſcopus, curante Abbate noſtro Iacobo Bertellio Vtinenſi, novis cryſtallis S. Crucem exornavit. Exſtat in ſcheda membranacea ſubtus laminam argenteam, in quam Crux terminat, hoc, quod ſequitur, monimentum: *R. P. D. Marcus Zeno Torcelli Epiſcop. A. R. P. D. Iacobo Bertelli Abbate, hoc Crucis Lignum cryſtallina, qua ornatur theca, ſua in Deum, & SS. Crucem pietate operiri curavit. anno S. 1635. prid. Id. Sept. praeſentibus R. D. Luca Montini Capellano dicti Illuſtriſſimi, & Canonico . . . . . . R. P. D. Michaele Angelo* [Superantio] *Veneto, D. Vitali Patavino, D. Hyacintho Vtinenſi, & D. Petro Veneto, Monachis huius Monaſterii.*

CAPVT X.

De ipſa SS. Crucis portione.

32. Totius Iconis deſcriptionem Cap. 1. exhibui: modo eam ipſius Ligni SS. Crucis referam. Portio igitur, quae poſt duo notabiliora ſegmenta alio translata, ut infra adnotabo, adhuc remanet, longitudinem habet unciarum fere octo, latitudinem vero & craſſitudinem, ut adparet,

quaſi

quaſi unciae. Porro dividitur cum ſupra, tum nonnihil infra in duas tranſverſas portiones, quarum ſuperior circa verticem longitudine aequat quatuor uncias, inferior vero quinque cum dimidia.

33. Prae vetuſtate color evaſit phoeniceus, vulgo caſtaneus, ut paſſim in aliis S. Crucis portionibus conſpicitur; verum quaenam ſit huius ligni ſpecies, incertum. Peritis videtur potius eſſe cedri; ſed per vitrum, indeque ſine eius raſura, id pro certo adfirmare nequeunt. Iuſtus Lipſius (1) cenſet Crucem Servatoris noſtri e quercu compactam fuiſſe: *primum, quia viri fide digni adſerunt, fruſta ſacratiſſimi huius Ligni, quae hodie exſtant, ſpeciem hanc praeferre. Tum, quia crebra, & frequens in Iudaea olim, & nunc quoque illa arbor. Tertio, quia robuſtum lignum, & fixioni laturaeque aptum.* Huic Lipſii ſententiae adhaeſerunt Alphonſus Ciaconius (2), & Ioſephus Laurentius (3). At Iacobus Gretſerus Soc. Ieſu, qui multa ad SS. Crucem ſpectantia optimo labore, ac ſucceſſu eruditiſſime congeſsit tribus voluminibus in folio, probare contendit minime quernum fuiſſe hoc ſacrum Lignum. Placuit illi potius ſententia Sancti Bedae Monachi Benedictini, *Venerabilis* paſſim nuncupati, qui adſerit, ex quatuor lignis compactam fuiſſe Sanctiſſimam Chriſti Crucem, nempe cupreſſo, cedro, pino, atque buxo; *ſed buxus*, ait Beda (4), *non fuit in Cruce, niſi tabula de illo ligno ſupra fron-*

[1] Lib. III. de Cruce Cap. XIII.
[2] De Lignis S. Crucis Cap 30.
[3] De Tormentis Cap. VII.
[4] Oper. Tom. III. in Collectaneis de Cruce Domini.

frontem Chriſti, in qua conſcripſerunt Iudaei titulum; cupreſſus fuit in terra uſque ad tabulam; cedrus in tranſverſum; pinus rurſum. Quae ſententia antea fuiſſe videtur S. Iohannis Chryſoſtomi (1), cui ſuffragantur Alexander Monachus Graecus Auctor Hiſtoriae de Inventione S. Crucis, editae (2) a laudato Cl. Gretſero [3], S. Anaſtaſius Sinaita Patriarcha Antiochenus, & Iohannes Cantacuzenus (4) Imperator CP., etſi hi varient in ipſorum Lignorum diſpoſitione ac ſitu, circa ipſum tamen Lignum, utpote ex tribus Ligni ſpeciebus exortum, fabellae nonnullae a Graecis praecipue Scriptoribus concinnatae fuerunt, de quibus videſis Epiſtolam Celeberrimi Leonis Allatii (5), ubi ad calcem ipſe adnotat: *vera a falſis, & probabiliora ab improbabilioribus ſecernere, ſimiliſque traditionis originem excutere*, oportere. Huiuſmodi commentitias narrationes refellit praecitatus Gretſerus (6). Porro de Cruce adſerere minime dubito ex ignobili, atque procero ligno confectam fuiſſe; nam Sanctus Gregorius Nyſſenus (7) ait: *Lignum Crucis omnibus hominibus ſalutare eſt, cum ſit pars, ut audio, arboris vilis, contemtioriſque, quam aliae multae ſint*. Et S. Iohannes Chryſoſtomus (8) de Ieſu ſermonem habens; *etenim in alto ligno pependerat*, animadvertit. Inſignioribus enim noxiis inſigniores etiam Cruces tradebantur. Alia plura legi

[1] Orat. de Vener. S. Crucis.
[2] Tom. II. Operum.
[3] Hexaemer. Lib. V. in Bibliot. PP. Lugdun. T. I. L. V.
[4] Aſſer. contra Machom.
[5] In Symmictis pag. 175.
[6] Tom. I. Oper. Lib. I. Cap. IV.
[7] Orat. de S. Baptiſm. pag. 459.
[8] I. Cor. Homil. V.

legi poſſunt apud Iacobum Boſium in eius Tractatu *Crucis Triumphantis, & Glorioſae*, ſumma eruditione conſcripto, & edito Romae ann. 1610. typis Alphonſi Ciaconii; & apud Lipſium, qui ex veteribus Scriptoribus, atque monumentis, de Crucis forma; & de uſu modoque Cruci adfigendi multa doctiſſime collegit.

34. Forma Crucis noſtrae Iconis *duplex* dicitur ex duplici ipſo tranſverſo ligno. Non tamen Crux haec duplex, ſeu gemina fuit in uſu pro iis, qui Crucis ſupplicio adfecti ſunt; nunquam enim penes Lipſium haec forma reperitur; etſi omnimodas Cruces, quibus Orientis populi, & Romani uſi ſunt, auctor iſte deſcribat. *Sed cur ita Crux cum duplici tranſverſario ſtipite, maiore altero, altero minore effingeretur, non omnino conſtat*, ut ait Ducangius (1). Primum hanc geminae Crucis formam reperi in nummis Leonis Iſaurici Imperatoris CP., qui regnavit ab anno 717. Etſi hic Auguſtus, Iudaeo quodam auctore, in ſacras Imagines impietatem exercuerit; attamen ſemper Cruci obſequium adhibuit, cum Crucis imagines Iconoclaſtae omnes admitterent: & deinde in aliis nummis Michaëlis Balbi, Baſilii Macedonis, Iohannis Zimiſcae, Romani Diogenis; aliorumque ſubſequentium CP. Auguſtorum non raro adinvenitur; ac in ſaepius citato Baſilii Menologio gemina Crux fere ſemper delineata deprehenditur. Hinc mos huius duplicis Crucis taliter invaluit penes Graecos, ut & hodie vigeat in ea natione.

35. Crux iſta duplex, ſeu gemina dicitur vulgo *Patriarchalis*, ſeu *Hieroſolymitana*; quia Crux hoc modo

(1) Diſſert. de infer. aevi numiſm. num. XXIII.

modo efformata ab Hieroſolymitanis, aliiſque Patriarchis ferebatur. Fortaſſe placuit Patriarchis Crucem augere, vel ita exornare, ut ab aliis inferioribus Epiſcopis ſemetipſos diſtinguerent. Haec gemina Crux nuncupatur etiam *Apoſtolica* a Scriptoribus rerum Hungaricarum, qui *de Cruce gemina*, ſcripſerunt (1), *Apoſtolatus inſigni, quam Romanus Pontifex una cum Corona tranſmiſit* Divo Stephano Hungarorum Regi, & Apoſtolo [2], *poteſtate ei facta poſteriſque Regibus eam praeferendi*, veluti Apoſtolica legatione fulgentibus. Videſis Hiſtoriam Didacticam S. Crucis (3) compoſitam a Doctiſsimo Patre D. Magnoaldo Ziegelbaur, Monacho noſtro Benedictino Imperialis Monaſterii ad duplices Aquas in Auſtria, cuius comitati, & benevolentiae plurimum me obſtrictum profiteor.

36. In inſignibus Alberti [4] Patriarchae Hieroſolymitani, qui Heraclio ſucceſsit anno 1204., adparet Crux cum triplici tranſverſo ligno, quorum ſupremum eſt brevius ſecundo, & ſecundum tertio. Porro Crux haec triplex melius convenire videtur Pontifici Maximo in ſupremae poteſtatis ſupra omnes Patriarchas argumentum. Quare Molanus [5] dicit, *Supremo Patriarchae, ſive Romano Pontifici, quidam dant pedum cum triplici Cruce*, ut obiurget adrogantiam eorum, qui Patriarcham CP. Romano Pontifici parem faciebant. Fivizzanus (6) vero nonnullas ratio-

(1) Inchoferus Annal. Eccleſ. pag 304.
(2) Anton. Bonfin. Hiſtor. Hungar.
(3) Pag 20
(4) Honuphrius Panvin. in Chronico.
(5) Lib. IV. Cap XXIX. Hiſtor. SS. Imag. & Pictur.
[6] De ritu SS. Crucis Romano Pontifici praeferendae Lib. I.

tiones profert, ut probabilem reddat hanc opinionem, adſeritque aliquod exſtare exemplum imaginum Summorum Pontificum, qui manu tenent Crucem, *cuius ſtipes duplici, & triplici linea eſt decuſſatus*. Difficile tamen ſtatuere tempus ritus triplicis Crucis, dum in antiquitatibus Liturgicis nullum teſtimonium adparet Hierarchas conſueviſſe incedere cum Crucibus huiuſce figurae ante ſe latis. In eruditiſsimo Opere *de Liturgia Romani Pontificis*, edita ab Dominico Georgio clariſſimae memoriae, nullum profecto exſtat huiuſmodi veſtigium. Nihilotamen ſecius ipſe Fivizzanus autumat in aliquibus Metropolitanis, & Patriarchalibus Europae Eccleſiis Crucem praeire ſolitam, qualis ſuper Patriarcharum inſignibus ſtatuitur. Inde rationes adducit huiuſmodi ritus, & proponit hanc Crucum varietatem denotare, nobis in Eccleſia Dei dari ſedes varias *honore, & ditione diſpares*. Aliquando triplicis Crucis forma reperitur in veteribus Chriſtianorum monumentis, quorum duo videre licuit apud Boldethum (1); nempe Iovinae alterum, alterum Luciferi Calaritani Epiſcopi, etſi hoc poſtremum ſit apocryphum.

37. Statuae Conſtantini, & Helenae ex induſtria locatae fuerunt ad latera huius S. Crucis, quia non ſolum hiſce debemus felicem SS. Ligni adinventionem; ſed quia Conſtantinus ipſe, cum CPoli inſignes Cruces erexiſſet, ad earundem Crucum latera ſtatuas S. Helenae Matris ſuae, atque ſui ipſius itidem poni mandavit; nimirum [2] ad arcum Milliarii, in fornice Camerae Fori Conſtan-

[1] Oſſervaz. ſopra i Cimiterj de' Santi pagg. 263. 271.
[2] Cedrenus, & alii.

ſtantiniani, & alibi: quam ob rem Graecis conſuetudo invaluit ita dictorum Auguſtorum effigies collocandi ad ipſius Crucis latera. Nobilior locus Divae Helenae datus viſitur; quia Graeci laevam dextera praeſtantiorem eſſe iudicant.

38. Ad verticem S. Crucis ex utraque parte Angeli cernuntur, quaſi admirantes vivificae Crucis myſterium, quo Orbis totus ſalvus factus eſt; & non pro artificis placito, ſed ex graecanica conſuetudine ſunt hic & inde locati, ut animadverti poteſt in ſimilibus Tabulis, & praecipue in illa Ducalis Baſilicae Sancti Marci (1), ubi hi duo Angeli diſtinguuntur nominibus Michaëlis, & Gabrielis: Μιχαήλ. Γαβριήλ. Anonymus Auctor *Antiquitatum CP.* quas e Codice Regio 3058. 4. Cl. V. Domnus Anſelmus Bandurius e Graeco vertit, & in lucem primum edidit, refert [2] a dextris, atque a ſiniſtris memoratae Crucis Fori Conſtantiniani adcommodaſſe ipſum Conſtantinum duorum Angelorum ſtatuas, iuxta verſionem doctiſſimi Lambecii, & laudati Bandurii, qui in notis ampliſſimis, omnique eruditione refertis, hac ſuper re (3) optime diſſerit: & ſtatuas, inquam, adcommodaſſe ad conſervandam caeleſtem, ac celeberrimam illam viſionem S. Crucis, & Angelorum Conſtantino dicentium ЄΝ ΤΟΥΤϢ ΝΙΚΑ: IN HOC VINCE. Ita Bandurius adnotat (4): *Perperam Combefiſius*, Ἔνθεν καὶ δύο ταχυδρόμον, velo-

[1] Tiepolo Trattato delle SS. Reliquie di S. Marco di Venezia pag. 69.
[2] Num. 33. 40.
[3] Pagg. 488. 497. edit. Pariſ.
[4] Pag. 498.

velocium duorum Curſorum, ut & Aemilius Portus Suidae interpres. Duorum quippe Angelorum ſtatuas fuiſſe puto (id probat in nota ad n. 33.) *quoniam una cum Cruce, Conſtantinum, Angelos dicentes, ἐν τούτῳ νίκα, vidiſſe fertur; unde ad conſervandam illius viſionis memoriam, Crucem, & Angelos erexiſſe.*

39. Me tamen non latet, pleroſque ſcripſiſſe non Angelorum vocem audiviſſe Conſtantinum, ſed verba, ἐν τούτῳ νίκα vidiſſe in caelis penes Crucem, ex luce conſcripta. Cedrenus [1] ex ſtellis efformata fuiſſe haec verba adnotavit; quod & Zonaras (2) repetit, addens Romanis litteris fuiſſe compoſita: quamquam Leo Imperator in Epiſtola ad Umarum, mavult ſcripturam hanc Graecam exſtitiſſe.

CAPUT XI.

De huiuſce Iconis aetate.

40. EX hactenus dictis quiſque eruditus coniicere poterit, cui aevo adſcribenda ſit haec Icon noſtra pervetuſta. Verum quoniam ad Cap. I. non improbabilem ſententiam in medium adtuli ante ſeculum XI. eam confectam fuiſſe; ideo, ut quibus obſervationibus innixus id protulerim, adpareat, aliqua heic prae oculis ponam, & breviter quidem, ne acta agam. Icon tota undique redolet antiquitatem. Imprimis Angelorum, & Imperatorum ſchemata, ſeu imagines, quae, ut ita dicam, duriuſculae ſunt, & rudes, licet non ſatis iuxta

(1) Compend. Hiſtor. pag. 214.
(2) Annal. Tom. II. Lib. XII.

iuxta typum modernus artiſex, quo uſus ſum in formando ectypo ad frontem huius Syntagmatis exhibito, non ſatis, inquam, eam expreſſerit; attamen notam antiquitatis praeferunt: nam opus cum aliis medii aevi collatum, ſtatim vetuſtatis characterem id ipſum intuentibus oſtendit; nihilque reperitur in iis Imaginibus, quod nos in eam ſententiam inducere poſſit, ut poſteriorem eſſe hanc Tabulam, ſeu Iconem credamus. Characteres quoque Graeci quadrati, & rotundi poſt memoratum ſeculum XI. non ſunt tam facile obvii; & globus quidem abſque Cruce ſupereminente non fuit in uſu poſt id temporis apud Graecos.

41. At ſi vel diſtinctius, apertiuſque quid ſentiam proferre mihi per te licuerit, VIR HVMANISSIME, adſignabo huic Tabulae eam ipſam aetatem, qua vixit Baſilius Porphyrogenneta, auctor Menologii ſaepius in hoc Opere memorati. Si Baronio (1) fidem praeſtare debemus, huius Menologii collector fuit Baſilius Macedo, qui ſeculo IX. floruit; ſi vero Allatio (2), Baſilius iunior, qui ſequenti ſeculo imperavit, eiusdem Menologii exſtitit auctor. Eo lubentius ſubſcripſimus Allatio, quod in Menologio mentio ſit Beatae Theophanus (3), coniugis Leonis filii Macedonis. Et inſuper ipſe Baſilius Macedo (4), utpote ex infimo ortus genere, Porphyrogennetae titulo non potuit decorari; ſicut potuit, & fuit Baſilius iunior, nempe ſecundus, filius Romani Imperatoris. In hoc igitur Menologio, ac in aliis eiusdem ſeculi X.

(1) Ad ann. 886.
(2) Diſſert de Lib Eccleſiaſt. Graecor. §. 12.
(3) XVI. Decemb.
[4] Nicet. in Ignat. & Zonaras pag. 131.

monumentis, ea omnia, quae in noſtra Icone deprehenduntur, obvia ſunt, facileque reperiuntur; quod profecto in alterius aevi monumentis non ita facile occurrit. In hoc, inquam, Menologio viſuntur ſchemata iis ſimillima, quae ſunt in noſtra Tabula, ut ſupra notavi ad Capita v. & vi. Camaleucium nempe in Imperatorum figuris, quo Conſtantinus noſter redimitus eſt, & altera Corona in Auguſtabus, qua S. Helenae caput decoratur. Itidem veſtem S. Helenae, Cruce exornatam, nuſquam reperi, niſi in Menologio. Vetuſtioris, vel inferioris aevi Auguſtarum indumenta admodum diverſa exſtabant, ut ex numiſmatibus, atque ex tabulis. Praeterea globus non crucifer, & forma ſceptri ſe adtollentis ad inſtar floris cuiusdam, ut videtur in Icone, una ſimul adparent in Tabula Regia Pariſienſi in Cap. ix. memorata, ubi filii, & uxor ipſius Baſilii Macedonis exhibentur; quae Tabula circa eiusdem Menologii aetatem elaborata fuit. Vt ut ſit, eruditis Viris, ac de Graecanicis rebus plane inſtructiſſimis, hanc ſpartam libentiſſime ſubiicio.

CAPVT XII.

De Iconis Translatione.

42. Antequam ad huiuſce Iconis Translationem me convertam, non abs re erit praenotare S. Crucis Lignum a Conſtantino Magno diviſum fuiſſe in plura ſegmenta, quorum unum Hieroſolymis reliquit, ibique inſigne Templum conſtruxit; alterum CPoli Sophianae Aedi cuſtodiendum tradidit; tertium vero Romam miſit, ubi & regalem Baſilicam erexit, S. Crucis in Hieruſalem adpella-

latam, quam SS. D. N. BENEDICTVS XIV. inſtauravit, atque omni magnificentia exornavit. Eam igitur portionem, quae CPolim translata fuit, in minora ſegmenta conſtat partitam fuiſſe, quae variis in locis eiusdem Vrbis adſervabantur, ut Ducangius (1) adnotat ad Annae Comnenae Alexiadem. Nihilotamenminus ſuo tempore S. Beda (2) ſcripſit, in Sophiana Baſilica tres magnas portiones Ligni S. Crucis ſervatas fuiſſe; *longum*, videlicet, *Lignum in duas partes inciſum*, *&* *tranſverſum eiusdem Sanctae Crucis Lignum*.

43. Ex hac igitur, quae CPoli contigit, parte, Crux haec noſtra formata fuit; nam in Monumento, quod mox daturus ſum, narratur, eam ex Vrbe CPoli ſecum adſportaſſe duos nobiles Viros Euboeos, qui etiam ſcire ſe profitebantur, hanc uſui exſtitiſſe Conſtantini Magni, & Helenae Impp. Sed plane error hic eſt a nimia Graecorum credulitate proveniens; cum ſatis conſtet ex dictis ſuperius, & praecipue ex Patriarchalis, ſeu geminae Crucis forma, quae poſtea tantum profecto viguit, dictorum Auguſtorum tempore Iconem hanc non fuiſſe confectam: neque decebat maieſtatem tantorum Principum Crucem poſſidere nullo, vel parvo ornatus pretio inſignitam. Intelligere forſan potuerunt, ipſius S. Crucis portionem ab Icone ſeparatam, eam ipſam fuiſſe, quam privato cultu laudati Auguſti venerarentur. Verum & hoc non tam facile dictis nobilibus viris concedendum. Haec enim Icon oblata fuit huic Monaſterio non longe poſt eius primordia; nam erectio huius Monaſterii S. Michaëlis contigit anno 1212.

D 2 ideo-

(1) Pag. 104.
(2) Oper. Tom. III. de Locis Sanctis Cap. XX.

ideoque fere novem ſeculis poſt aevum Conſtantini Magni. Quaſi ad huiuſce Monaſterii exordia Iconis oblationem refero; quia eiusdem oblationis, ſeu potius translationis monumentum litteris conſignavit Franciſcus Abbas noſter anno 1362. *ne memoria iam diutiſſime deperdita* penitus tunc evaneſceret. Quae verba quidem innuunt magnum temporis curriculum elapſum eſſe ab adventu Iconis ad aetatem Franciſci Abbatis; nam memoria iam diutiſſime deperdita non evanuiſſet; & praeterea eadem ſeculum unum, vel alterum ſeculi dimidium indicare videntur. Quo pacto autem in notitiam venerit huius oblationis praedictus Abbas, ipſe teſtatum reliquit in ipſo monumento dicens, ſucceſſores eorum, qui primo ſacram Iconem dono dederant, veniſſe, ut eam veneraretur, & narrarunt modum, quo huic Eccleſiae pretioſum Pignus oblatum fuerit ab eorum maioribus. Monumentum vero ex membrana ſeculi XV. depromtum, ubi & alia huiuſce Monaſterii Acta leguntur, atque ex apographo Codicis Bibliothecae noſtri Monaſterii S. Mariae Angelorum Florentiae, heic referre ad legentium commodum, Hiſtoriaeque fundamentum, opere pretium iudicavi.

Incipit Tractatus qualiter Icona Ligni Sanctiſſimae Crucis in Monaſterio Sancti Michaelis de Mariano mirabiliter ſit delata.

44. *SI tanta virtus Scripturarum eſt, ut geſtorum labente temporum curriculo apud poſteros memoria vigeat; cur igitur non inſudant, quibus datum eſt deſuper intellectus pariter, & ſcribendi*

ſcien-

ſcientia in occurrentibus notabilia denotare? Cur permittunt magnalia Dei ſine felici recordatione tranſire? Cur non ſtudent ea quae poſteris aedificationem praebeant exarare? Ecce enim multa tranſacta ſunt tempora ex quo virtuoſum infraſcriptum miraculum evenit & nemo ipſius prodigii preſcius extitit qui de tam felici recordatione ut inferius declarabitur ſaltem aliqua in ſcriptis ad poſterorum memoriam curaverit enarrare. Venerabilis igitur pater Domnus Franciſcus Abbas Monaſterii S. Michaëlis de Muriano Dioeceſis Torcellane Camaldulenſis Ordinis volens memoriam tanti miraculi iam diutiſſime perditam ſuſcitare ad communem utilitatem fidelium & celebrem recordationem modernis & poſteris recitandam ſtatuit ac voluit ſic glorioſe rei miraculum in predicto Monaſterio in ſcripturis publicis annotari ad exaltationem glorioſiſsimi nominis digniſſime Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti Salvatoris noſtri. Nunc vero ne prodigus hic ultra forte quam ſat eſt ſermo diſcurrat preſidio eiusdem Crucis de qua locuturi ſumus ad expoſitionis ſeriem venimus.

Anno Domini M. CCC. LXII. *de menſe Octobris* IIII. *nobiles & circumſpecti Viri de partibus Romanie ſecum ducentes interpretem unum ad Monaſterium predictum acceſserunt qui per predictum interpretem Abbati prelibato in hunc modum affati ſunt. Pater a longinquis venimus partibus viſitare yconam in qua due parve Cruces exiſtunt de ligno Sanctiſſime Crucis Redemptoris noſtri quas in Monaſterio iſto dignoſcitur permanere. Qua de re vos precamur ut nobis ipſam oſtendere dignemini. Abbas enim prefatam yconam nequaquam ſe habere reſpondit ipſam tenens abſconditam eo quod*

D 3 *paulo*

paulo ante aliqui deſuper Altari Eccleſie dicti Monaſterii furari conati fuerant. Quod reſponſum qui venerant audientes meſti & ululatu maximo inſtantiſſime denuo deprecati ſunt Abbatem ſic dicentes. Pater non deneges nobis queſumus viſionem huius ycone, quam ſcimus a noſtris anteceſſoribus antiquitus hic manere. Et ut ſcias nobis hoc eſſe notum tibi incunctanter narrabimus quantitatem qualitatem atque ipſius ycone formam ſeriatim ut a noſtris Patribus didicimus eſſe verum. Ycona propter quam a longe non modicum huc venimus conſtituta eſt ex quadam aſſide groſſa magnitudinis unius libri comunis ſuper qua aſſide quedam ycone manet auricalchi aureati. In ipſa vero ycona ab utraque parte deſuper ſunt ſculpte figure Imperatoris Conſtantini ac Imperatricis Helene que Imperatrix meruit Crucem ſupradicti Domini Noſtri a Iudeis abſconditam reperire. In medio enim figurarum earumdem due parve Cruces ſcilicet una ſubtus alteram ſimul vincte conſiſtunt. ex ligno conſtracte glorioſe ac digniſſime Crucis in qua Salvator noſter mortem ſubire dignatus eſt. Abbas autem ſciens ab auditum tamen non ita vere ipſas Cruces parvas fuiſſe de ligno Sanctiſſime Crucis, quomodo vel quando aut quare in ipſo Monaſterio primitus fuerint ignorabat. Vnde admiratus his que audierat in immenſum ab ipſis quommodo ſcirent aut a quo audierint predicta curioſius inveſtigavit. Ipſi vero miraculum infraſcriptum in hunc modum narraverunt dicentes.


Mortuis Imperatore, & Imperatrice predictis & Imperio ipſorum in deſolatione veniente accidit ut aliqui noſtri anteceſſores ex quorum proſapia originem duximus in Conſtantinopolitana civitate appli-

plicarent qui ſibi ad hoc committendum comodum cognoſcentes yconam ſupraſcriptam ſubtiliter ſunt furati quam ſciebant indubie fuiſſe Imperatoris & Imperatricis prediƈtorum. ipſam ſibi reputantium cariorem omnibus theſauris gemmis & reliquiis huius mundi eo quod Cruces in prediƈta ycona exiſtentes conſtrui fecerant de ligno Sanƈtiſſime Crucis Redemptoris noſtri tempore quo Imperatrix prediƈta ut ſupraſcriptum eſt ipſam Crucem Salvatoris noſtri a Iudeis funditus in terram reconditam meruit invenire. Intrantibus autem navim qua iverant & abeuntibus inde cum ycona ſupradiƈta verſuſque patriam & habitationem ipſorum propere navigantibus, ecce tempeſtas & infortunium maximum mirabiliter ſupervenit in mare adeo quod quaſi omni ſpe ſalutis perdita crederent omnino periclitari. Sed recordati ſupradiƈte Sanƈtiſſime Crucis videnteſque continue fluƈtus & procellas fortius habundare cum fiducia & ſpe maxima voverunt unanimes noſtro Salvatori. quod ſi quaſſatio & tempeſtas illa ceſſaret ſic ut illeſi evaderent prefaƈtam glorioſam yconam in mare proiicerent ipſamque ſequerentur quocumque mare traduceret eandem oblaturi in unam Eccleſiarum quam ipſos primitus reperire contingeret. Quibus diƈtis & faƈto voto mox & celeriter mare in maxima tranquillitate devenit in tantum quod nil infortunii unquam fuiſſe videretur in eo. Qui tam grande conſpicientes contigiſſe prodigium & ſic velociter ac firmiter cognoſcentes tranquillitatem illam qua mortem evaſerant ex voto & poſt votum ipſorum nullo medio penitus proceſſiſſe promiſſorum memores repente prefatam yconam proiecerunt in mare. Que nullo ducente a ſemet pervenit in partes Venetiarum ap-

plicuitque ad Monaſterium in quo ſumus, ſtatimque indiſtanter ab Eccleſia iſta ante fores ipſius ſuos fixit greſſus. Illi autem qui aſſidue ipſam ſecuti fuerant videntes eandem ulterius minime progredi ſed immobilem ſiſtere navi illico deſcenderunt & ipſam ex aqua tollentes ſuper Altari eiusdem Eccleſie devotiſſime obtulerunt preſentibus Abbate ac Monachis ipſius Monaſterii. Porro ad lares proprios remeantes hoc miraculum & cuncta que ſibi acciderant eorum filiis propinquis & affinibus narraverunt & ſubſequenter de progenie in progeniem felix ea glorioſa recordatio miraculi ſupradicti propiciante Domino ad nos uſque pervenit. Quam ob rem dignetur veſtra Paternitas ipſam yconam devotiſſimam nobis oſtendere ut non ſimus de noſtro laborioſo ac longiſſimo nimis itinere fruſtrati, & poſſimus Cruci Sanctiſſime Redemptoris noſtri devotam & debitam ſicut decet reverentiam impertiri. Abbas enim audiens omnia ſupradicta in immenſum gaviſus eisdem prelibatam yconam reverenter oſtendit. Qui cum predictas Cruces devotiſſime adoraſſent leti & iubilantes diſceſſerunt. Abbati predicto gratias referentes ac laudantes & glorificantes Deum cui laus & gloria in ſempiterna ſecula ſeculorum. Amen.

45. Ad magis comprobandam mirifici adventus huius S. Crucis Hiſtoriam, viſitur & modo pulcherrima Inſcriptio, quam fortaſſe erigere curavit laudatus Abbas Franciſcus, qui pro cuſtodienda eadem ſacra Reliquia primum conſtruxit Sacellum, ſeu Altare, ut Chronographus noſter Auguſtinus Fortunius e Florentia, retulit. Haec Inſcriptio exſtat impraeſentiarum in pariete Eccleſiae

ſiae loco patentiore inter eiusdem Sacelli oſtium, & Sacrarium, quam etiam hic damus.



MIRIFICO . DEDVCTA . MODO . SAN
CTISSIMA . LIGNI . PARS . INCLVSA
CRVCIS . MANET . HIC . CONCVRRITE . PRONI.

46. Dixi Franciſcum Abbatem *fortaſſe* auctorem exſtitiſſe huius Inſcriptionis, cum nihil obſtet, quin putare poſſimus longe antea, nempe tempore adventus Sanctae Crucis, eam conſcriptam fuiſſe: huiuſmodi enim characterum incluſorum, & inter ſe ligatorum forma paſſim videtur in Inſcriptionibus XII. ſeculi, ut & in Marcianae Aedis Venetiarum veſtibulo ad latera portae principis.

Memoratus Auguſtinus Fortunius enarrationem huiuſmodi adventus Sanctae Crucis conſcripſit ex Monumento ſupra relato, & ex parva quadam Hiſtoria Lucae, vel Nicolai Paladini Dalmatae, fortaſſe minime typis tradita; nam huiuſce Commentarioli nullum exemplar hactenus videre licuit, & de ipſomet Scriptore mentionem ullam penes alios, praeterquam apud Fortunium, nunquam inveni.

47. Cui

Digitized by Google

47. Cui fortaſſe incredibilis erit tota adlati Monumenti hiſtoria, utpote ex Graecorum adſuetis fabellis reſperſa; verum huic facile reſpondebo: morem profecto Graecorum fuiſſe veras enarrationes fabellis immiſcendi; verumtamen in hiſce enarrationibus aliquam exſtare veritatem, quam non reiiciet, niſi is, qui nimis ſcrupuloſe cogitet, & credat. Certum eſt, e Graecia in hoc Monaſterium translatam fuiſſe hanc Iconem; & tota Icon ipſa hoc ſatis nobis praebet fundamentum: & certe antiquitatem ipſius Tabulae aliquo modo me demonſtraſſe exiſtimo. An vero in navi, vel ſupra maris aeſtus haec Icon iter fecerit ad Inſulam, nihil officit ad eius identitatem. Tunc temporis ita mirificam exſtitiſſe translationem Patres noſtri crediderunt; nullum impraeſentiarum habemus contrarium monumentum; quam ob rem, nec indubitanter miraculum accidiſſe cenſendum eſt, nec penitus illud reiiciendum. Haec, SENATOR AMPLISSIME, adnotare placuit, ut aliquid dicerem contra nimium faciles rerum omnium dubitatores.

CAPVT XIII.

De Cultu, & miraculis eiusdem portionis S. Crucis.

48. POſtquam Franciſcus Abbas Sacellum, ſeu potius Altare, huius ſacratiſſimo Pignori Paſſionis Servatoris noſtri condere curavit, auctus eſt in dies erga ipſum cultus Fidelium, qui ad hanc Inſulam, ut illud venerarentur, dedita opera ſe transferrebant. Fortunius ipſe (1) haec adnotat poſt laudatam enarrationem. *Franciſcus Abbas*

[1] Hiſtor. Camald. Par. II. pag. 96.

Abbas, erecto Sacello Crucis, venerabile Lignum ibi recondidit, ubi uſque ad haec tempora a tota Venetia omni debita colitur religione. Tametſi poſtero tempore particula quaedam illinc ad ſacram Eremum translata eſt: ex eo die Templum S. Michaelis, ipſumque maxime Sacellum Crucis, tanta cepit eſſe in opinione religionis, ut non minus nautae, quam mercatores, ubi ad navigationem ſe Venetiis accingunt ad adorandum prius ſacratiſſimum Lignum exinde venire conſueverint. Narranturque multa miracula fuiſſe ibidem pro tempore oſtenſa; inter quae unum ſat erit oſtendere, quod a Nicolao Paladino Dalmata ſcribitur. Ipſe enim olim in Cretam navigans ad Antonium Lauredanum in Cyprum miſſus, in redeundo in quindecim incidit triremes Pyratarum Aſiaticorum. Cumque ſeſe ſtrenue diu defendiſſet pro viribus, nec evadere poſſe cerneret, venit illi in mentem Sanctae Crucis ipſius recordatio. Tum eius virtutem ſuppliciter implorans, illico vitae periculum ingenti miraculo evaſit; effugiens enim, lapſuſque neſcitur, quomodo ex hoſtium manibus, navigationis curſum proſpere confecit, & omnis geſtae rei Commentariolum compoſuit, gratias immortales agens Deo.

49. Hic etiam cultus antiquiori monumento comprobatur. In Vita enim Beati Petri Maſſaleni de Ottocha, olim Sardiniae urbe Epiſcopali, ideoque *de Sardinia* vulgo nuncupati, (etſi memoriae lapſu a Cl. V. Franciſco Barbaro (1) *Petri Corſi*, nomine laudatur)ſic legitur (2) : *Dominus Petrus Lauredanus, & Dominus Stephanus Contarenus, eximii Patritii huius Reipublicae devote accedebant*

ad

[1] Epiſt. CVI.
[2] Cap. VIII.

ad illud devotum Monaſterium , & adorato , & deoſculato Ligno S. Crucis , quod ibi eſt , &c. Hanc Vitam D. Maurus Lapius Florentinus , ac Monachus noſter conſcripſit, fuitque aetate ſynchronus B. Petro , qui hoc in Monaſterio deceſſit anno 1453. ipſamque inter MSS. Codices noſtros (1) adſervamus. Itidem in itinere Perſico (2) , quod egit, ac luculenter Italice deſcripſit Ambroſius Contarenus, Vir Patritius , ac pro Veneta Republica ad Vſuncaſſanum Perſarum Regem Orator , ſic habetur: *Adì* XXXIII. *Febb.* MCCCCLXXIII. . . . . *montai in barca , & andai a Santo Michele da Murano , ove udimmo Meſſa . Poi feci ſignarci tutti con il Legno della Croce dal Priore : e con la ſua benedizione andammo a dirittura a Meſtre.*

50. Et revera traditum eſt per manus , quod navigium nullum a propinquo S. Eraſmi Portu , per id temporis prae ceteris frequentato, ſolvebat , quin prius Cives , Mercatoreſque , ac Nautae, vel in publicis expeditionibus , vel mercimoniae gratia, proni , ſupplicesque benedictione pro felici ſuo itinere munirentur huiuſce ſacri Ligni . Verum haec adventantium pietas paulatim obſolevit propter navigationem eiusdem Portus difficilem redditam, atque derelictam. Quo aevo haec navigationis difficultas contigerit, incertum ; tamen circa annum 1555. Muriani , ſeu S. Eraſmi Portus tam altus , validuſque adhuc vigebat , ut maris impetus in hanc Inſulam praecipites caderent ; id quod ex charta antiqua quadam huius noſtri Tabularii addiſcimus. Et quidem Fortunius , qui in hoc

[1] Cod. 506.
[2] Viaggi alla Tana in Perſia, &c. in Vinegia 1515. p. 59. *Exſtat etiam in collectione Ramnuſii .*

hoc Monaſterio praelaudatam noſtrae Hiſtoriae Camaldulenſis ſecundam Partem anno 1579. elucubravit, videtur ſignificare voluiſſe ſuo etiam aevo Nautas, Mercatoreſque, qui ſe ad navigationem adcingebant, ad adorandum SS. Lignum adceſſiſſe.

51. Publicae Civium devotioni exponitur haec ſacra Reliquia diebus Inventionis, & Exaltationis S. Crucis, & Feria ſexta Paraſceves. Non ſola tamen Feria ſexta Paraſceves, ſed quaelibet anni ſexta Feria ſpecialiter dies ſunt dicati culti Sanctae Crucis, quae ſymbolum eſt Paſſionis Servatoris noſtri Ieſu, ut Sanctus Cardinalis noſter Petrus Damianus [1] adſerit in Epiſtola, quam ſcripſit ad Deſiderium Abbatem Montis-Caſini. Et revera Conſtantinus Magnus decrevit his diebus praecipuum cultum exhibendum eſſe S. Cruci, immo voluit, ut diebus iisdem ea ſervarentur, quae ſervantur Dominica die, ut ſcribit Sozomenus (2), atque obſervat Tillemontius (3). Verum haec Conſtitutio, vel brevi abrogata eſt, vel non fuit promulgata, cum obſervationis huiuſce Conſtitutionis nullum remaneat in Hiſtoriis veſtigium. Incaſſum quoque verſus dimidium v. ſeculi (4) adlaboravit Sanctus Auxentius Abbas prope CPolim, ut devotum morem ſanctificationis huius diei firmaret, ac ſtabiliret.

52. Superius mentio facta eſt de Sacello, quod huic ſacro Ligno Franciſci Abbatis ſtudium erexit; verum non de Sacello, quod modo cernitur, in-

(1) Lib. II. Epiſt. xiv. vel Opuſcul. xxiii.
[2] Lib. i. Cap. viii. p. 48.
[3] T. iv. pagg. 181. 642.
[4] Act. SS. Bolland. xiv. Februar.

intelligendum eſt ; nam hoc poſt ſeculi xv. medietatem exſtructum imprimis fuiſſe a Petro de Priolis Viro Patricio, ac Marcianae Aedis Procuratore, clare habetur ex Epiſtola celeberrimi Viri Petri Delphini, Viri itidem Patricii, ac noſtrae Congregationis Praeſidis Generalis, quam dedit anno 1493. die 10. Februarii ad Bernardinum Gadolum Brixienſem Monachum noſtrum, virum maxima doctrina pollentem (1): quae Epiſtola inter editas legitur Lib. III. num. 55. inter autographas vero, quas tribus Codicibus in folio tenemus Lib. II. num. 18. In hacce igitur Epiſtola poſt tanti viri collacrymatum deceſſum, ſubdit Delphinus; *quo vero amico, quo patrono careat nunc Coenobium noſtrum S. Michaëlis, apud quod exaedificato nobili Sacello, dum viveret, nunc mortuus requieſcit, non indiges teſte*. In media huius Sacelli area modo etiam Petri de Priolis Sepulchrum cernitur cum epigraphe, anni epocha carente, qui tamen fuit 1493. ut ex relata Delphini Epiſtola dignoſcitur. Altare cum lignea Tabula Iohannis Bellinii praeclari Pictoris, Priolus erexit; ſed aevi diuturnitate, atque adeo Septemtrionalis aëris voracitate admodum offenſa Tabula, totum Altare, ut exſtat, erectum fuit anno 1722. ſub Abbate Michaële Angelo Gaſparino Veneto, marmoribus pereleganter ornatum: & hic addere libet adhuc exſtare in hoc Sacello Crucem pulcherrimam, & procerem ex tabulis porphyreticis, & ophiticis iam ab aevo Petri Prioli conſtructam.

CA-

[1] Philipp. Bergomen. in Supplem. Hiſtor.

CAPVT XIV.

De Segmentis S. Crucis alio translatis.

53. I. EOdem ſeculi xv. charactere, quo exſcripta fuit Relatio de inſigni noſtra S. Crucis portione ſuperius adlata, adpoſitum fuit additamentum de Translatione cuiusdam ſegmenti ipſius ſacri Ligni Camaldulum facta per quemdam noſtrum Praeſidem Generalem; & hiſce verbis: *Praeterea ſciendum eſt, quod illa portio Ligni ſanctiſſimae Crucis, quae in praefata Icona deeſſe videtur, cuius in loco deaurata argentea lamina poſita eſt, translata fuit per quemdam noſtri Ordinis Generalem ad ſacrae Camaldulenſis Heremi Monaſterium; quod ad honorem ſanctiſſimi Salvatoris noſcitur eſſe conſtructum; quae uſque in praeſentem diem in eodem loco maxima cum devotione cuſtoditur, colitur, atque veneratur.*

54. Quo aevo, vel ſub quo Praeſide noſtro huius ſegmenti translatio Camaldulum facta ſit, nullum exſtat monimentum, neque in Tabulario S. Eremi, neque iſtius Monaſterii. Porro ante ſeculum xvi. eam factam fuiſſe certiſſimum eſt; quia adlata adnotatio ſeculo xv. conſcripta fuit. Tantum in *Chronico Camalduli* MSS. ab eruditiſſimo, & piiſſimo D. Eduardo Baroncinio ſcripto, haec memorantur: *Ligni ſiquidem S. Crucis Domini particula Monaſterio S. Michaëlis de Muriano ad Eremum delata, argentea Crucis theca ornata, repoſita fuit in Tabernaculo marmoreo a Magiſtro Gino de Settignano anno* 1521. *ſculpto, a latere*

maio-

maioris arae, & lampade ibidem ſemper accenſa Decreto Capituli S. Eremi anno 1529.

55. Ipſomet ſeculo xv. Monachus quidam huiuſce Monaſterii pietati conſanguineorum ſuorum de Patricia gente Gritta nimis obſecundans, partem alteram huiuſce ſacri Ligni ademit. Laura autem Gritta anno 1576. eam Patribus Societatis Ieſu Domus Venetae dono dedit, ut publico cultui exponeretur in eorum Eccleſia, quae tunc erat S. Mariae de Humilitate, cui modo Moniales Ordinis noſtri Sancti Benedicti inſerviunt. Haec omnia patent ex monimento ab ipſa Laura patrio idiomate conſcripto, quod hic exhibemus ex Codice membranaceo ſeculi xvi.

L' Anno del Signore 1576.

Come s' habbia havuta la Crocetta del Santo Legno della CROCE.

56. *GIA' ſono anni* 140. *in circa, che venne non ſi ſa d' onde, una caſſetta quadretta d' un braccio longa, & un palmo alta, ben chiuſa per acqua notando in modo più miracoloſo, che maraviglioſo, e capitò a Santo Michele da Murano, dove a quel tempo non era ancora fondamenta, ma ſpiaggia, & certi Padri di quello Monaſtero vedendo tale Caſſetta dal Mare giettata verſo Terra, andorno per pigliarla, & ecco, che quanto più andavano verſo d' eſſa, lei tanto più s' alargava dalla ripa: fato ciò più volte, ſi reſolſero andar, e così andorno al loro Reverendo Padre Priore narrandogli il ſucceſſo: Inteſo che ebbe il P. Priore fece venir tutti li Padri in ordine di proceſſion*

con

con la Croce, e coſì divotamente andorno verſo la Caſſetta, quale gionti detti Padri al luogo, dove ſtava, parendo che ſteſſe ad aſpettarli per eſſer colta col detto ordine, & divotione, più non ſi moſſe, come già prima fatto havea. Pigliata che hebbero detta Caſſetta, trovorno ſopra ſculpito lettere, che dicevano Lignum Sanctæ Crucis. *aperta che fu, vi trovorno dentro un' altra Caſſettina con lettere ſopra parimente ſcolpite, che dicevano* Lignum Sanctæ Crucis. *aperta ancora detta Caſſettina trovorno il Santo Legno longo un palmo in circa. Portato con grandiſſima allegrezza, e riverenza fu repoſto nella lor Chieſa, & fattone una Croce, che hoggidì con gran riverenza è tenuta in una Cappella preſſo la Sacriſtia dentro in un bello altare, dove ſta anco la propria hiſtoria ſcritta in boniſſima lettera a chiara intelligenza che chiunque vorrà intendere, al che mi rimetto. Et uno Reverendo P. Priore di detto Monaſtero qual era parente di queſti gentiluomini da cha Gritti, per ſua carità fece far queſta Crocettina di detto Santo Legno & ge la donò, acciò foſſero partecipi di così gran teſoro ſpirituale, e fuſſegli occaſion di maggior divotion.*

Una coſa miracoloſa. Eſſendo il q. magnifico Mſ. Homobon Gritti Capitano delle Gallere andato fuori al ſuo viaggio s' amalò a Pola in Iſtria, e morſe. Mſ. Almorò ſuo fratello andò a pigliar le robbe, & come fu in golfo per fortuna s' annegò; & s' abiſsò col vaſello & ogni coſa. Il ſcrigno ſolamente pieno di argenterie, denari, ſcritture, & altre robbe de maggior importanza, natando peruenne ſino a Caorle, doue doppo alquanti giorni

ſu ritrouato ſaluo ſenza hauer patito danno veruno, ne pur bagnate le Scritture, eſſendo tanto dimorato nell' acqua, coſa che veramente fù a tutta la terra di grandiſſima ammiratione, attribuendo tuttociò per eſſerui dentro queſta Santiſſima Crocettina. Et io Laura relitta del q. Magnifico Mſ. Bernardo Gritti conoſcendo la dignità di queſta Santiſſima Crocettina, & eſſer tenuta in Caſa de noi Secolari con molto minor riuerenza, che ſe gli conuien, più volte n' hò ſentito non mediocre rimorſo di conſcienza, & più volte m' è ſtato fatto ſcrupolo da diuerſe perſone religioſe de diuerſe ſorti, che un tanto teſoro ſi tengi con più riuerenza; nè ſapendo come, finalmente inſpirata, come credo dal Signore, dal quale ogni buon penſiero deſcende, mi ſon reſolta donarlo, & così ſpontaneamente ne faccio libero dono in proprio nelle mani al Reuerendo P. Dario Beringuzzi Prepoſito della Caſa della Compagnia di Gesù in Venezia, alla Chieſa di detti RR. PP. chiamata S. Maria dell' Humiltà, acciò iui ſia tenuta, come ſpero, con la riuerenza, & decoro, che ſe gli conuiene. Queſta era mia propria, perchè quando fui maritata, & che uenni in Cà Gritti, ſubito la bona memoria del q. Magnifico Pietro Gritti, all' hora mio barba, e Mſ. Bernardo già mio marito, deſiderando farme coſa grata ambidue inſieme me la donorno, che foſſe mia, & che faceſſe d' eſſa ciò che à me piaceſſe, le cui anime prego, che ſiano raccomandate nelli Santi Sacrifici, & Orazioni di quelli Religioſi inſieme co la mia ſteſſa, che 'l Signor ſi degni ſaluarle per ſua infinita miſericordia. Et in fede di ciò io Laura ſopradetta hò voluto ſia fatta la pre-

preſente Scrittura a perpetua memoria, & de mia propria mano ſottoſcritta, e ſigilata col ſigillo di Cà Gritti. L' Anno del Sig. 1576.

Luogo del ✠ Sigillo.

Io Laura Gritti ſopra ſchrjta afſermo quanto è ſopra ſchrito.

57. Aliquibus erroribus interſperſa eſt haec relatio, cum deſcriptioni ſuperius adlatae Franciſci Abbatis in pluribus non reſpondeat; ſed praecipuus palmaris error eſt in ipſo narrationis exordio, quo numerantur anni 140. ab adventu noſtrae S. Crucis ad annum 1575. Ab anno 1362., quo Franciſcus ſuam deſcriptionem protulit, ad annum 1575. quo donatio portionis ſacri Ligni facta fuit a Laura Gritta Patribus Soc. Ieſu, non anni 140. tantum intercedunt, ſed 215. niſi dicere velimus annos 140. enumerandos eſſe ab eo tempore, quo familia Gritta hac portione donata fuit a noſtro Priore S. Michaëlis, uſque ad annum 1576.

58. Prior autem ille nuncupatus S. Michaëlis, facile fuit Petrus Donatus, per id temporis noſter Abbas, filius praeſtantiſſimi Senatoris Hermolai, de quo videſis Epiſtolas Franciſci Barbari ſuperius laudatas. Vel fortaſſe Ludovicus Donatus, eiusdem Hermolai filius, itidem huiuſce Monaſterii Aſceta, de cuius Latina Oratione meminit V. Cl. Scipio Mapheius (1). Hi enim germani fratres ſororem habuerant coniugem Homoboni Gritti, in prolata Laurae Grittae deſcriptione memorati, ut Petrus noſter Delphinus innuit in quadam Epiſtola Homo-

[1] Verona illuſtr. P. 1. Lib. 3.

mobonum adpellans ſororium Petri Donati. Demum Homobonus Gritti obiit anno 1486. cum pro Republica Triremum, vulgo dictarum *de Flandria*, Dux eſſet, uti me docuit V. Cl. Iohannes de Auguſtinis Minorita, dulci mihi neceſſitudine coniunctus.

59. En, FLAMINI SENATOR, quae omnia ad Graecanicam Iconem, & ad portionem inſignem ſacri Ligni ſpectantia in unum colligere pro tempore libuit, ac valui. Tuum erit alia, ſi quae ſunt, e latebris vindicare, a mendis alia purgare, alia tua eruditione augere; quippe qui ceteras quoque Icones, & S. Crucis portiones illuſtrare aggrederis: quarum plura Venetiis exſtant, & obverſantur inſignia monumenta, & praecipue in Eccleſia Patriarchali, in Theſauro Ducalis Baſilicae D. Marci, in Eccleſiis S. Iohannis Evangeliſtae, S. Dominici, & Fratrum Servorum; nec non in Eccleſiis Ordinis noſtri Sancti Benedicti, nempe S. Crucis de Iudaica, & S. Mariae Vallis-Viridis Monialium, & S. Helenae, ac S. Mathiae Monachorum, de quibus portionibus mentio nulla facta eſt a D. Magnoaldo Ziegelbaur Monacho Imperialis Monaſterii ad Duplices Aquas in docto Opere, quod Vindobonae elapſo anno 1746. edidit, & cui titulus eſt: *Hiſtoria Didactica de S. Crucis cultu, & veneratione in Ordine Divi Benedicti*: in quo Ordine tam multa, tantaeque magnitudinis Segmenta Sanctae Crucis religioſe coluntur, *ut nullus alius Regularis Ordo, abſit iactantia verbo, in ſuis poſſideat Sacrariis*, uti animadvertit idem eruditiſſimus Auctor (1).

60. Quis

[1] Diſſert. Prooemial.

60. Quis fortaſſe cum Riveto (1) multiplicationem tam enormem huius S. Ligni totum per Orbem diſperſi in dubium revocabit, & aliquis forſan inſanis venenoſiſque dictis irridebit; ſed huiuſmodi hominibus facile reſpondebitur. S. Cyrillus enim, qui ante Hieroſolymorum Praeſulatum, viginti, vel triginta (2) poſt annos ab Inventione S. Crucis magiſter illic erat Cathecheſewn, de teſtimoniis ac de miraculis Iesv Christi (3) verba faciens, ſic ait: *Teſtificantur quinque panes in quinque virorum millia multiplicati. Sanctum Crucis Lignum teſtatur, quod ad hodiernum uſque diem apud nos conſpicitur, ac per eos, qui fide impellente ex eo fruſtra decerpunt, Orbem fere totum hinc iam opplevit*. De qua mira S. Ligni propagatione alio in loco effatus erat hiſce verbis (4): *Crucis Ligno univerſus iam Orbis in partes ſecto repletus erat*. D. Antonius Auguſtinus Toutée, e Congregatione S. Mauri Monachus doctiſſimus, qui S. Cyrilli Opera egregio ſtudio accurate edidit, notiſque inluſtravit, ad relatum Cyrilli teſtimonium haec inter alia adnotavit: „ Peregrinis Epiſcopi beneficio „ Crux adoranda concedebatur, data licentia fruſtula ex Cruce decerpta adſportandi; nec Crux „ praeterea ullum detrimentum, quamvis toties „ diminuta, patiebatur; teſte adhuc miraculi Paulino. Quod etiam ex Cyrillo fidem accipit: Si „ enim Crucis particulis totus Orbis, ut ipſe „ teſtatur, iam tum oppletus erat; quid de ipſa „ Cruce poſt viginti, immo poſt ſeptuaginta ab „ eius Inventione annos, quo tempore ſcribe-

 „ bat

[1] Lib. III. Critic. Sacr.
[2] Natal. ab Alex. Seculo IV. Cap. 6. artic. 12. num. 3.
(3) Catech. X. num. 19.
[4] Catech. IV. num. 10.

„ bat S. Paulinus ſupereſſe iam poterat, niſi de„ crementa divinitus reparata fuiſſent? „ S. Paulinus autem ſic ait (1): *Crux in materia inſenſata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis Lignum ſuum commodat, at detrimenta non ſentiat*. „ Quod mi„ raculum (ſubdit V. Cl. Natalis ab Alexandro (2) „ O. P.) qui irrident, vel in dubium revocant „ Heterodoxi Critici, aut blaſphemos, aut impu„ dentes eſſe oportet: blaſphemos, ſi Deum non „ potuiſſe miraculum illud patrare dixerint; impu„ dentes, ſi Sanctum Paulinum celeberrimum Epi„ ſcopum, a SS. Auguſtino, & Hieronymo impenſe „ laudatum, fabulam Orbi univerſo venditaſſe ef„ futiant.

Sed ſatis, SENATOR AMPLISSIME, nimia ſermonis mei prolixitate Te moleſtia adfeci; ſi non Diſſertationem hanc, ſaltem meam erga Te, venerationem benignam excipe, ac ſtudia mea, immo & Sodalium meorum, ut pro more foveas, enixius rogo. Vale.

Venetiis. Ex Monaſterio Sancti Michaëlis penes Murianum Idibus Septemb. CIↃ. IↃ. CC. XXXXVII.

CRVX

(1) Epiſt. XXXI. ad Severum edit. Veronenſis pag. 193.
(2) Seculo IV. ut ſupra.

CRVX
E VITALI LIGNO
SANCTAE CRVCIS
IN QVA SCVLPTVS
IESVS CHRISTVS
NAZARENVS
CAPITE MITRATO
QVAE ADSERVATVR IN THESAVRO
BASILICAE BAPTISTERII
FLORENTINI
Commentario illuſtrata
A B
ANTONIO FRANCISCO GORIO
EIDEM BASILICAE PRAEPOSITO

HABENTES ERGO PONTIFICEM MAGNVM . QVI PENETRAVIT CAELOS IESVM FILIVM DEI . TENEAMVS CONFESSIONEM . NON ENIM HABEMVS PONTIFICEM . QVI NON POSSIT COMPATI INFIRMITATIBVS NOSTRIS . TENTATVM AVTEM PER OMNIA PRO SIMILITVDINE ABSQVE PECCATO .

Ex Epiſtola B. Pauli Apoſt. ad Hebr. Cap. IV. *ver.* 14.

ET QVIDEM CVM ESSET FILIVS DEI . DIDICIT EX IIS . QVAE PASSVS EST . OBEDIENTIAM . ET CONSVMMATVS . FACTVS EST OMNIBVS OBTEMPERANTIBVS SIBI . CAVSA SALVTIS AETERNAE . APPELLATVS A DEO PONTIFEX IVXTA ORDINEM MELCHISEDECH .

Idem in eadem Epiſt. Cap. V. *ver.* 8.

CON-

COMMENTARII DEDICATIO

E T

P R O O E M I V M

QVVM pluribus ab hinc annis multa notatu memoratuque digna collegerim e Florentinis Tabulariis, praeſertim vero e locupletiſſima STROCTIORVM BIBLIOTHECA, quae HISTORIAM BASILICAE BAPTISTERI FLORENTINI ſuppeditare poſſunt valde amplam, ac fortaſſe etiam, ut in votis eſt, ſatis abſolutam; quam adhuc rudem, & impolitam Collectanea, & Adverſaria mea complectuntur: quam quidem ob compleres aeri incidendas Tabulas, atque editionis neceſſarium ſplendorem, in lucem proferre me haud poſſe video, niſi favente Dei ope ac miſericordia, & mei Clementiſſimi Principis, FRANCISCI ROMANORVM IMPERATORIS PII FELICIS SEMPER AVGVSTI liberalitate ac providentia, qui me eidem Baſilicae non meis meri-

Digitized by Google

meritis, quae nulla ſunt, ſed motus conſilio ſuo honorificentiſſime praefecit: rogantibus tamen, atque urgentibus frequenter amicis, ut Specimen aliquod aliquando proferrem mearum vigiliarum, ſtatui tandem partem hanc eiusdem meae Hiſtoriae profecto illuſtriorem ac praecipuam, Vobis, VIRIS AMPLISSIMIS, obſerre, votiſque omnibus commendare. Commentarius iſte DE VENERANDA CRVCE e vitali ac pretioſo LIGNO CRVCIS deſumta, atque in eodem Baptiſterio repoſita, pertractat; in quo non pauca, a Florentinis Scriptoribus nondum memorata, a me adferuntur. Id honoris cauſa potiſſimum facio, ut hoc qualicumque exhibito meorum laborum penſo, totum Opus veſtra ſolicitudine, & cura dignum, dicam etiam eximium gloriae veſtrae, & Florentini nominis monumentum, omni favore ac praeſidio complecti perhumaniter velitis. Quam ingens SACRORVM PIGNORVM Theſaurus in hac ipſa Baſilica diligentiſſime adſervetur, alibi, ut ſpero, Vobis patefaciam; nunc Symbolarum loco exponendum curabo, quod hactenus ignotum fuit, quam admirabile, ac prorſus ſingulare ſit ARCANVM SANCTISSIMAE CRVCIS LIGNVM in eadem Baſilica reconditum, in quo ſculptus antiquiſſimo aevo conſpicitur CHRISTVS IESVS CRVCIFIXVS, non, ut in aliis veterrimis monimentis cernitur, nudo capite, vel nimbo, vel regia corona, radiis etiam aliiſque ſimilibus divinitatis ornamentis inſigni, ſed MITRATO; quod plane perrarum eſt, atque animadverſione digniſſimum. Fateor plures Agiographos me vidiſſe [haud tamen omnes] qui de CRVCE, & de CRVCIFIXI IMAGINE luculenter pertractant; nullus vero mihi occurrit, qui tanquam Pontificem Redemptorem noſtrum e Cruce pendentem Mitra, ſeu Pontificia Thiara inſigni-

gni-

gnitum contemplandum, tam perſpicuo ac remotiſſimi temporis exemplo, propoſuerit. Id ſpero Vobis, Florentiniſque Civibus fore non ſolum gratum, verum etiam periucundum: qui ſtatis menſibus in more poſitum habetis, Sacroſanctas Baptiſterii Florentini Reliqvias ſolemni luſtratione inviſere, & ſarta tecta omnia ſervare, & ſacram omnem ſupellectilem conſpicere, atque, ſi opus ſit, ſplendidiſſime augere. Lubenti, & ipſe animo id facio, devotionis, & reverentiae cauſa, quum mihi una e tribus clavibus, quibus Sacra Pignora in Theſauro cuſtodiuntur, tradita ſit, Cuſtoſque vobiſcum ſim tam pretioſae ac divinae Gazae, quae ſupra omne aurum, & pretioſos lapides aeſtimanda eſt, & colenda.

Praeterea ad hunc Commentarium elucubrandum, & ad haec praeſtanda obſequii mei argumenta, me blande compellunt eximia tua pietas, & adſidua cura, Aemili Eqves Lvci Ornatissime, qui quantum diligas decorem Domus Dei, non ſolum teſtatur hoc Florentinorvm Baptisterivm, verum etiam Metropolitana Sancta Basilica: quare omnes meritis laudibus celebrant egregium tuum in curanda re ſacra, rebuſque ſartis tectis ſervandis ſtudium, ſedulam curam, una cum ſingulari humanitate, & comitate coniunctam. Cogor etiam longe ſuaviter ad id faciendum, ut palam faciam quantum profecerit illuſtratumque ſit Florentinvm Baptisterivm zelo, vigilantia, prudentia, & exemplis Clariſſimi Viri Ioannis LvcI, eidem Praepoſiti, tui germani Fratris, Praedeceſſoris mei, inter omnes Eccleſiaſticos Viros pietate, & doctrina ſpectatiſſimi: quem Dominus exacto laudabili regimine annorum fere

tre-

tredecim ſpatio. VI. Eidus Maias, anno MDCCXLVI. ad praemia regni caeleſtis vocavit. Vos igitur, AMPLISSIMI VIRI, qui in CRVCE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI gloriamini, libenti animo ſuſcipite has meas lucubrationes, & una mecum contemplamini Redemptorem noſtrum Principem, & Salvatorem, quem Deus exaltavit dextera ſua, & laetamini mecum, mundum, & hoſtem humani generis domuiſſe non ferro, ſed hoc unicae ſalutis, & ſpei noſtrae LIGNO, quod nunc expendendum adgredior.

DE MI-

DE MITRATO
IESV NAZARENI
CRVCIFIXI
CAPITE
COMMENTARIVS

CAPVT PRIMVM

Florentinae Baſilicae BAPTISTERII *origo, antiquitas, dignitas, ac praeeminentia breviter indicatur.*

BAPTISTERII FLORENTINI Hiſtoriam dum adgredimur, eam cum Maiorum noſtrorum, tum etiam recentium Scriptorum magni nominis opinionem convellere, & abſurdam oſtendere nitimur, qui cenſent id ipſum, Ethniciſmo vigente, fuiſſe Martis Templum; poſtmodum, Chriſtiana Religione toto orbe propagata au-

auctaque, Sancto Iohanni, Chriſti Domini Praecurſori glorioſiſſimo, Florentinorum Patrono maximo, conſecratum dedicatumque, atque inde, loco expiato, factum Baptiſterium, in quo Florentini omnes ſalutari Lavacro tingerentur.

II. Declarata veterum Baptiſteriorum origine (quibus ſacris aedificiis condendis antiquorum balneorum apud Romanos ſtructuram obſervatam, & aliqua imitatione expreſſam coniicimus) ad eorum formam ac figuram, vel rotundam, vel octagonam, expendendam progredimur. Haec ipſa ita aedificari oportere, ut Caelum patriam noſtram, Hieruſalem ſanctam, referrent, docuerunt Sanctiſſimi Eccleſiae Patres, praeſertim Damaſus Papa, Ambroſius, aliique, & talis etiam ab eorum origine in compluribus Vrbibus, praeſertim Italiae noſtrae, Baptiſmales Eccleſiae occurrunt, & adhuc viſuntur. Quae Baptiſteriorum eſſent partes, Cathecumenia, ſcalae, ceteraque ornamenta, ad dignitatem maieſtatemque ſtructurae dedicata, obſervationibus, e ſacrae Vetuſtatis, atque Eruditionis theſauro depromtis, illuſtramus; quae omnia quum in Baptisterio Florentino habeantur, atque ad hoc tempus ſpectentur, & veterrimis Eccleſiae ritibus omnino reſpondeant, illud tuemur, huiuſmodi Templum, ut creditur, conditum eo in loco, ubi Martis Templum Ethnici dedicaverant: & ad tollendam evertendamque priſcorum Gentilium ſuperſtitionem, pro ſalutari Fonte ipſum ab origine exſtructum fuiſſe: incoeptumque aedificium, ut coniiciebat magnus Vir Senator Philippus Bonarrotius, paullo ante, vel circa Valentiniani, ſeu Valentis tempora, ſedente S. Felice Epiſcopo, quod etiam ibidem expendimus.

III. So-

iiI. Solemnes ritus Eccleſiae in dedicandis Baptiſteriis mox adnotantur; & noſtrum ex veterrimis tabulis ac monumentis adſtruimus ſolemnibus caeremoniis conſecratum fuiſſe a Sancto Theodoro Epiſcopo Florentino, iam tum currente ſeculo iv. Habemus ex aliis item ſinceris monumentis, ſedente Sancto Zenobio Florentinorum Antiſtite & Patrono, ipſam iam Cathedralem Eccleſiam exſtructam fuiſſe, & Chriſto Servatori, titulo *Sancti Salvatoris* dedicatam, in quam poſtmodum, Paſtorali munere fungente S. Andrea, translatum eſt ſacrum eiuſdem Sancti Zenobii corpus, poſt obitum in Baſilica Sancti Laurentii tunc extra moenia ſepultum, in qua vetus Chriſtianorum Coemeterium fuiſſe, iam oſtendimus. Chriſti fidem ac Religionem apud Florentinos primum non multos, at ſeculo v. ineunte ac deinceps ſenſim ſequentibus temporibus viguiſſe, ac multo magis propagatam longe lateque, praeter alia eximia documenta, docent, atque etiam perſpicue teſtantur priſca Florentinorum Chriſtianorum Coemeteria, praeſertim percelebre illud ad S. Felicitatis Baſilicam, cuius lapides (quorum duo Conſulum paria memorant, alter Honorium XI. & Conſtantium II. Conſules, anno Chr. ccccxvii. alter vero Iſidorum & Senatorem Conſules anno nimirum Chr. ccccxxxvi.) adtulimus, nonnullaque in his adnotavimus in Par. iiI. Inſcript. Antiquar. Etruriae Vrbium a pag. 305. ad 360. cuius Baſilicae, & Monaſterii luculentam Hiſtoriam quamprimum Vir Clariſſimus, de litteris, priſciſque noſtris monumentis optime meritus, Dominicus Maria Mannivs exhibebit. Opus ſummo ingenio ac laude dignum de Cathedrali Sancta Florentina Eccleſia avide exſpectamus a Celeberrimo Iohanne Lamio, qui diſcuſſa veterum opinionum caligine, im-

immenſiſque propemodum ambagibus, ſacram Florentinam Hiſtoriam optato in lumine, ut ipſe promiſit, conlocabit, ac reſtituet.

IV. Florentinvm Baptisterivm inter omnes Eccleſias, primatum iam inde a primis Chriſtianae Religionis ſeculis obtinuiſſe, teſtantur donationes factae *Eccleſiae S. Ioannis*, *Domui S. Ioannis*, itemque *Canonicis S. Ioannis*; quod, ut arbitror, remotiſſimis temporibus, licet unum ac idem ſacrum aedificium cenſeretur Cathedralis Eccleſia, & Baptiſterium; tamen, quod Baptiſterium in quo Fideles ſacro Fonte ad vitam aeternam regenerantur, tanquam parens haberetur, & inde ad matrem Eccleſiam ſacris myſteriis docti ac formati Fideles deducerentur, principem locum obtinuit: quo ad illud Salvatoris noſtri reſpexiſſe Sancti noſtri Patres videntur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Credibile eſt de Baptiſterio condendo primum ſanctiſſimos Antiſtites cogitaſſe: in quo exſtruendo ſummam magnificentiam impendendam eſſe, ut arbitror, ſanxerunt. Nam quum hoc Baptiſterium, ad quod tunc per ſeptem gradus, vel ut alii volunt, per duodecim, ferme adſcendebatur, iam ab origine magnificentiſſime fuiſſe exſtructum, patet ex pluribus columnis antiquis valde magnificis, quibus eſt ſubfultum: mox inſequutis ſeculis extrinſecus quoque marmoribus, interius vero picturis e muſivo opere, atque elegantiſſimo pavimento ſumtuoſiſſime ornatum.

V. At ab exordio ſuo, & origine, haud tam operoſa, & magnifica fuit primitiva Cathedralis Baſilica Florentina; quam in hanc quam conſpicimus augu-

auguſtiſſimam dignitatem, & magnificentiam publico aere exſtruendam decreto ſanxere Florentini, anno mcclxxxxiv., & mox paucis elapſis annis perfecerunt. Primitiva Eccleſia Baptiſterium habebatur, in qua Fideles omnes primum ſalutis ſuae aeternae fundamentum ponunt, ſacrorumque myſteriorum participatione, & communione inſigniuntur; quapropter in honorem Dei tantique Sacramenti, ingentem auri vim, omnes ſumtus, omnem magnificentiam impendendam eſſe duxerunt; in qua etiam magnum Vrbis ſuae nomen, decus, & dignitatem ſitam eſſe ſunt arbitrati. Id & priſcos Florentinos feciſſe animadverterant, qui Amphitheatrum, Theatrum, Thermas, Aquaeductus, Circos, Capitolium, ut Romanam aemularentur maieſtatem, ac magnificentiam, quum Romae filiam haberi Florentiam vellent, ingentibus operibus, maximiſque ſumtibus ad Vrbis ſplendorem, & gloriam teſtandam, exſtruxerunt, de quibus nonnulla alibi etiam adnotavimus.

VI. Certe toto Orbe rutilante Sanctae Crvcis Vexillo, Evangelioque praedicato, conſtat Eccleſiam Baptiſterii remotioribus temporibus principem locum apud Florentinos tenuiſſe, & per plura ſecula veterem illam conſuetudinem invaluiſſe, ut Antiſtite Florentino Pontificio munere ſolemniter fungente, Miſſam canente, in Florentino Baptiſterio primum cum toto Clero ſacram Synaxim auſpicaretur: mox eodem cum pompa ad Cathedralem Eccleſiam procedente, in eadem cuncta de more perageret ac perficeret. Erant etiam non pauci intra annum ſolemnes dies, ac feſti, in quibus Florentinus Pontifex Sacram Synaxim cum Clero ſuo univerſo maxima pompa in hoc Flo-

rentino Baptiſterio peragebat, qui in mea Hiſtoria recenſentur, & multa, quae ad veterem Florentinae Eccleſiae Cathedralis, atque huiusce Baptiſterii Liturgiam pertinent, proferuntur, explicantur, atque e tenebris, in quibus ad hoc tempus delituere, adlata publica luce, eruuntur.

CAPVT II.

Crvx *ex* Admirabili Ligno Crvcis *adſervata in Baſilica Baptiſterii Florentini, atque eius Hierotheca, in qua repoſita nunc colitur, breviter deſcribitur.*

I. HIS in mea Hiſtoria expenſis, ac luculenter expoſitis; ad inſigniora Basilicae Baptisterii Florentini decora, atque ornamenta illuſtranda gradum facio. Inter ea principem locum tenent veneranda Sanctorvm Lipsana, quibus, veluti clypeis glorioſiſſimis Eccleſiae toto orbe diffuſae ornantur, ac maxime rutilant: quae Vrbium ac Populorum contra omnes hoſtium incurſus praeſidia, & propugnacula firmiſſima merito habentur, atque coluntur. Sunt enim exuviae illorum, qui dum inter nos viverent, cari Deo fuerunt: qui Chriſtianam Religionem profuſo ſanguine, virtutibus, exemplis, doctrina, & ſanctitate nobilitarunt, & confirmarunt; quorum mors pretioſa in conſpectu Domini fuit: qui palma, & coronis digni, immaculatum Agnum in Caelo ſequuntur, hymniſque perpetuis iugiter laudant ac benedicunt, & pro nobis adſidue orant. Priſci Eccleſiae Patres, dum eadem Sacra Lipsana celebrant, & ſplendidiſſima divinorum Templorum ornamenta eſſe teſtantur, ſine quibus nec ſacras

aedes,

aedes, nec aras dedicari poſſe ſancitum eſt, ea variis nominibus decorantes, BENEDICTIONES, ac MERITA (1), BENEFICIA (2), INSIGNIA (3), SANCTVARIA, PATROCINIA, ac PIGNORA veneranda SANCTORVM adpellant (4).

II. Sed prae ceteris omnibus auguſtiſſimum toto Chriſtiano orbe locum tenet, ac longe ſupra reliqua ſacra Pignora fulget, ac ſupereminet ALMA CRVX DOMINICA, omnium benedictionum fons, Caeli ianua, ſalutare Chriſtiani populi munimentum, & adverſus omnes Diaboli nequitias inexpugnabile ſcutum: ſceptrum CHRISTI Regis Regum: CRVX benedicta, *cunctis aſtris ſplendidior, mundo celebris, hominibus multum amabilis, ſanctior univerſis; quae ſola digna fuit ſuſtinere* pro omnium ſalute morientem, ac ſanguinem ſuum fundentem *Regem Caelorum ac Dominum*: plane adorabile noſtrae Fidei, Religionis, & Salutis Vexillum, pretioſo CHRISTI Agni Immaculati, atque in aeternum benedicti ſanguine purpuratum, quo nos gloriari oportet; quia in eo vita, ſalus, & redemptio noſtra ineffabilibus myſteriis perfecta eſt a vero Dei Filio IESV CHRISTO NAZARENO; ut *per mortem ſuam*, ut ait Doctor Gentium ad Hebraeos Cap. 11. v. 14. & 15. *deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti*: & ut ad

[1] S Gregorius P. ex Reg. Lib. II. Epiſt. 33. p. edit.
(2) Glaber apud Baronium ann. 1008. num. 1.
[3] Idem S. Gregor. ex Reg. Lib. II. Epiſt. 9. & Lib. 1. Epiſt. 55.
[4] Vid. Du-Cangium Gloſſ. med. & inf. Lat. in v. *Patrocinia*. De his fuſius Boldettus in Obſervat. ad Coemeter. Vrb. Par. II. Lib III. Cap. 1. pag. 653 & ſeqq. & alii Agiographi, qui de cultu Sanctorum Lipſanorum pertractant.

ad Epheſios ſcribit Cap. I. v. 7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum ſecundum divitias gratiae eius, quae ſuperabundavit in nobis, in omni ſapientia, ac prudentia*,

III. Ex hoc Vitali Ligno exſciſa qualibet, licet minima, particula, maximo in pretio apud veteres omnes Eccleſiae Patres fuit: quod perſpicue prae ceteris teſtatur S. Paulinus Nolae Epiſcopus in Epiſtola ad Severum, quae inter nuper editas Veronae, xxxi. eſt, ad quem, ut Baſilicam rite dedicaret, mittens Sanctiſſimae Crucis minimam portionem, quam ob eius exilitatem, *ſegmentum atomum* vocat, haec ſcribit: *Quia nos non habuimus huius muneris copiam, & ille ſe ſpem eiusdem gratiae copioſam habere dixit a Sancta Silvia, quae illi de multorum ex Oriente Martyrum Reliquiis ſpopondiſſet; invenimus quod digne, & ad Baſilicae ſanctificationem, vobis, & ad Sanctorum Cinerum cumulandam benedictionem, mitteremus, partem particulae* de Ligno Divinae Crucis. Et paullo poſt: *Accipite ergo ab unanimis fratribus in omni bono veſtrum ſibi conſortium cupientibus, accipite magnum in modico munus, & in ſegmento pene atomo haſtulae brevis ſumite munimentum praeſentis, & pignus aeternae ſalutis. Non anguſtetur fides veſtra carnalibus oculis parva cernentibus; ſed interna acie totam in hoc minimo vim* Crucis *videat. Dum videre vos cogitatis* Lignum *illud, quo ſalus noſtra, quo Dominus maieſtatis adfixus, tremente Mundo, pependerit, exſultetis cum tremore*. Si tanti aeſtimatum eſt tam minimum de particula Sanctissimi Ligni Crucis ſegmentum, quod in Baſilicae dedica-

dicatione adhiberetur; hinc plane manifeſtum erit quam glorioſae, ac beatae dicendae ſint illae Eccleſiae, quae non parvam, ſed magnam atque inſignem eiusdem PRAETIOSISSIMI LIGNI portionem in ſuis Theſauris continent, & oſtendunt, ac ſe habere gloriantur.

IV. Inter omnes vero Florentinas Eccleſias merito celebranda eſt Baſilica BAETISTERII FLORENTINI, quae valde praeclaram eiusdem SALVIFICAE CRVCIS portionem compluribus ab hinc ſeculis poſſidet, & inter praecipua donaria, & maxime quidem illuſtria, recenſet. Hanc, nondum a Scriptoribus noſtris memoratam, publice oſtendere, adlato nunc primum eius Iconiſmo, valde mihi iucundum eſt, atque honorificum; quod dum lubentiſſime facio, ſpero etiam Florentinis civibus meis rem oppido gratam me eſſe facturum.

V. Praeter hanc eximiam partem, aliae quoque eiusdem SS. CRVCIS particulae in hac ipſa Eccleſia adſervantur, de quibus nonnulla alia adnotanda erunt: alio vero in loco inter meas SYMBOLAS, Deo iuvante, oſtendam, quibus quantiſque SANCTORVM LIPSANIS Florentinum Baptiſterium antiquitus ſit locupletatum, ac condecoratum, adlatis compluribus Graecis Inſcriptionibus, antea nunquam in lucem prolatis, quibus Lipſanothecae ornantur. Ex priſca conſuetudine, & ritu n praegrandi operoſiſſimo Altari argenteo, ſignis, emblematis, & hiſtoriis, multorumque praeſtantium Artificum caelaturis inſigni, ac magnifico, bis quot annis, ſtatis ſolemnioribus feſtis, in medio huius Templi erecto (nam eſt temporarium) multa cum pompa, & Donariorum antiquorum

frequentia, eadem ſacra Pignora oſtenduntur: quod Altare admirandi operis frequens populus iugiter devotiſſime oſculatur. At Sacroſanctae Crucis Lignum in Ara tantum maxima ter quotannis ſtatis diebus ſolemni pompa adorandum proponitur; nempe Feria ſexta in Paraſceve, in Feſtis Inventionis, & Exaltationis eiusdem Admirandae Sanctae Crucis.

VI. Ut igitur ea, qua poſſum diligentia ſuſcepto huic numeri, & meae humillimae in Sacroſanctum ſalutis noſtrae Pignus venerationi, ac devotioni faciam ſatis, exordiar a deſcriptione praeclarae huiuſce particulae, e divino Crucis Ligno diſſectae; atque, ut perſpicue adpareat qualis ac quanta ſit, eam nunc primum aere meo adcurate inciſam in ſequenti Tabula oſtendo. Me praeſente, a Pictore Philidauro Roſſio Florentino nuper delineandam curavi. Id contigit paucis ab hinc diebus, antequam hanc de ea diſſerendi provinciam ſuſciperem, nempe v. Eidus Novembres, hoc ipſo anno MDCCXLVIII. meo natali die, quo Deo miſerante, ac largiente, quinquageſimum ſeptimum aetatis annum, huius Sanctissimae Crucis munitus praeſidio, tam feliciter inchoatum auſpicatus ſum; & ſequenti die (quod eſt ſummum divinae, atque ineffabilis Dei Miſericordiae in me beneficium) aquis Divini Fontis ablutus, ad Regni caeleſtis aeternam vitam, atque hereditatem ſum regeneratus: quo quidem die hanc exorſus ſum elucubrationum, idcirco quod ſit mihi ſemper memorabilis, atque ſolemnis.

VII. Pretioſi huius Dominici Ligni altitudo paullulum excedit uncias quatuor Romani pedis antiqui:

qui: latitudo vero tranſverſi Ligni uncias eiusdem pedis tres aequat. In utraque facie totum Sacroſanctum Lignvm unciam unam, & pluſquam dimidiam excedit. Eius vero craſſities quoquoverſus, nempe in ſingulis partibus, ac lateribus, unciam fere unam complectitur; quam quidem totam craſſitiem circumdant ad omnes oras lamellae dentatae ex argento, quae auro ſuperfuſo contectae adparent. Superne Almifica Crvx incipit pone poſt illos quatuor perparvos arcus, qui tanquam capitulum efformant cum coronide, & Sacroſancto eidem Ligno ſupereminent, conſtantque, ut diximus, ex argento inaurato; nam ſub ipſis arcubus in vertice Crvcem complectentibus, intermedius eſt hiatus quidam ab una ad alteram partem. Huic, ut ita dicam, capitulo, fere ſimilis eſt ſubiecta baſis, cultu ornatuque parum vario confecta, itidem ex argento aureis bracteis obducto; cuius arcus thecam claudentes, ſurſum ſe adtollunt, & poſtremam Salutaris Ligni partem totam includunt. Eadem circumdantium lamellarum ornamenta viſuntur in averſa parte eiusdem Sanctissimi Ligni; quae vero Crvx nuda ac pura in medio eiusdem averſae partis ſita cernitur, ea ex lamella e ſolido auro fabrefacta, ad ipſam Dominicam Crvcem tum ornandam, tum fulciendam adpoſita videtur. Illud praeterea adnotandum, quod tota haec Crvx ex Vitali Ligno Crvcis deſumta, integra ac ſolida eſt; nullis enim conſtat conmiſſuris, ſeu partibus ſimul coniunctis; neque tranſverſum lignum in ea inſertum cernitur; adeoque totum Divinum Lignvm integerrimum eſt, ac ſolidum in utraque facie, cuius color ob vetuſtatem ſaturum caſtaneum oculis repraeſentat, qualem referunt robo-

reae arbores, vel quercus, ſi poſtquam ſectae ſunt, elapſis compluribus annis, conſpiciantur.

VIII. Nunc ad deſcriptionem Hierothecae recenti opificio pereleganter exſtructae, gradum facit. Ipſa Hierotheca, in qua in medio Almificvm Crvcis Lignvm clauditur, & cuſtoditur, Crvcem eximio artificum opere abſolutam efformat. Totam conficiunt cryſtalla nigra, intrinſecus encauſtico opere, picturis aureis, graphio diſcriminante, ornata, quae praecipua referunt Dominicae Paſſionis inſtrumenta. Extremas quatuor partes, ubi cryſtalla in formam Crvcis fabrefacta deſinunt, eleganti ſymplegmate in lamellis argenteis anaglyptico opere ſculpta ſunt Angelorum capita. Poſtrema pars in mucronem, ſive haſtam definit, more antiquae Crvcis Stationalis, de qua luculenter diſſerit Ioannes Ciampinius in praeclaro Opere Vet. Monum. Par. II. Cap. vi. p. 38. idque ita factum eſt, ut in ſubiecta baſi, cui infigitur, adtolli, & tanquam in throno ſubſtineri poſſit. Specularia duo translucida orbiculum in utraque Thecae parte in medio implent, & intra ſe claudunt pretioſiſſimum Lignvm. Specularia circumſtant, ac veluti quoddam monile ambiunt, micantes gemmae multicolores, pendetque circa eas ſertum ex argento, ſpineam Christi coronam referens, pereleganti opificio conſtructum. Infra Crvcem in antica parte in argenteo titulo, quem opus, ut aiunt, arabicum ornat, ſcriptum legitur:

C R V X
D E L I G N O C R V C I S
E T D E
V E S T E C H R I S T I

Haec

Haec epigraphe, ea ipſa eſt, quae, ut mox dicam, in vetuſtiore eiusdem Sanctae Crvcis Theca in hoc Florentino Baptiſterio olim repoſita, ſculpta legitur. Thecam hanc recentiorem ſuis impenſis faciendam curavit Praeſul Illuſtriſſimus Felix Monsacchivs, Sacrorum Canonum Conſultiſſimus, Cosmi III. Magni Ducis Etruriae a Sacris Cognitionibus, qui pervigili cura praefuit Baptiſterio Florentino ab anno mdclxxiv. ad annum mdccvi. quo, re bene ac fideliter geſta, Eidibus Maii functus eſt, & in eadem Baſilica honoris cauſa ſepultus. In averſa eiusdem iam deſcriptae Hierothecae parte in titulo quodam alteri ſimillimo, haec ſcripta occurrunt:

VIRO DOLORVM IESV CHRISTO
FELIX MONSACCHIVS HVIVS ECCLESIAE
PRAEPOSITVS
IN PERENNE SVMMI CVLTVS
MONIMENTVM
D. D. ANNO SALVTIS MDCCII.

CAPVT III.

De vetuſtioribus Baptiſterii Florentini Hierothecis, in quibus conditum Pretiosissimvm Sanctae Crvcis Lignvm; *&* de Veste Christi *portio ſimul recondita.*

I. Omnium antiquiſſima Inſcriprio, quae nobis innotuit, memorat Mirificvm hoc Sanctae Crvcis Lignvm reconditum fuiſſe in aheneo Vaſe, quod hodie non exſtant. Exſtant quidem in ipſo

ipſo Baptiſterii Theſauro ac veteri Sacrario arculae duae pervetuſtae, pretioſis lapillis multicoloribus undique ad modum loricae ornatae, & ſacras quodammodo aedes referunt, quas opportuno tempore delineatas proferam. In his olim recondita fuiſſe multa Sanctorvm Lipsana, non vero Sanctae Crvcis Lignvm exiſtimo, Sola huiuſce veterrimi ahenei Vaſis epigraphe, quae antiquitus in eo legebatur, nobis innotuit, quae ſervata eſt inter Monumenta Vniverſitatis, Conſulum Calliſmalae, atque etiam in antiquiore Baptiſterii Sacrario', ex ipſa archetypa, ut coniicimus, deſumta, quam diligenter iam a me exſcriptam nunc profecto. Sed eam primaevam eſſe non cenſeo; verum mox refectae Thecae additam, translato Divino Crvcis Ligno e vetuſtiore Conditorio.

IN HOC ENEO VASE EST DE VERO LIGNO
SANCTISSIME CRVCIS IN FORMA
CRVCIFIXI. ET DE PROPRIIS VESTIMENTIS
DNI NRI IHU : XPI : QVE OMNIA HVIC
ORATORIO DONAVIT KAROLVS MAGNVS
INCLITVS REX FRANCIE: ET HIC POSITA
FVERVNT PER MANVM REVERENDISSIMI
ARCHIEPI TVRPINI : QVANDO IDEM REX
REHEDIFICAVIT HANC INCLITAM CIVI
TATEM FLOR. : ∞ DCCCV.

II. De Caroli Magni pietate, doniſque Florentino Baptisterio factis, mox agam, ubi fabel-

bellae ſimillimam maiorum noſtrorum opinionem, conſtantemque adſertionem de Florentia reedificata ab eodem Francorum Rege, & Imperatore Pientiſſimo, mox expendam. Ex adlata Inſcriptione diſcimus haec Dei dona, verum nempe Lignvm Sanctiſſimae Crvcis, in quo ſculpta Christi Crvcifixi Imago, & partem de Vestimentis Christi, quae Inclutus Rex Carolvs Magnvs obtulit Baſilicae Sancti Ioannis, primum recondita fuiſſe in aheneo Vaſe, e quo in alias Hierothecas ſequutis temporibus translata, ac recondita fuiſſe coniicimus adoranda haec Christi Redemptoris Pignora.

III. Sed alias particulas Ligni Sanctae Crvcis & de Vestimentis Christi in Theſauro Baptiſterii Florentini adſervatas, alia memorant vetera monumenta, quae in locupletiſſimo Chartophylacio Conſulum Vniverſitatis Calliſmalae exiſtant. Haec Sacra Pignora Florentiam Roma delata perhibent eadem monumenta, quae ibidem exſtant autographa, cum aliis Sanctorum Lipſanis ann. mcccxxxiv. a quodam piae ac religioſae vitae Monacho Vallis-Vmbroſae, eaque indicta ſolemni ſupplicatione recondita in Altari huiuſce Baſilicae ac Baptiſterii Sancti Ioannis memorantur. Id ipſum quoque narrat ac teſtatur Dominicus, Leonardi filius, Boninſegnius, Continuator Hiſtoriae Florentinae editae a Villaniis, cuius verba patrio ſermone, uti ſcripta ſunt, adferenda videntur: *Del meſe d' Aprile detto* (hoc eſt anno mcccxxxiv.) *furono recbate in Firenze da Roma, per operazione d' un Monacho di Valenbroſa diuerſe Orlique di Santo Jacopo &c. di Santo Aleſſo, e del Drappo, che veſtì Xpo, e riceuute a priciſſione, con grande diuozione furono meſſe uello Altare di San Giovanni.*

Haec

Haec ipſa monumenta adferuntur & in Codice ccliv. Celeberrimae Bibliothecae Stroziae, in quo alia etiam antiqua epigraphe, quae olim in Hierotheca huiuſce Baptiſterii ſcripta erat, adfertur, multaque notatu digna in eo occurrunt. Ea iam exſcripſit, collegitque ex antiquis Tabulis ac Monumentis eiusdem Vniverſitatis Conſulum Calliſmalae, Vir Praeclariſſimus, Antiquitatis Parens adpellatus, Senator Carolus Strozivs, qui dum Proviſoris eiusdem Vniverſitatis munere egregie fungeretur, ſummo labore ac ſtudio digeſſit, & multa ex iisdem excerpſit, atque manu ſua exarata in compluribus Codicibus, in eadem ſua Bibliotheca repoſitis, aeternitati commendavit. In eo igitur Codice haec alia adfertur Inſcriptio:

HE SVNT RELIQVIE QVE SVNT IN ALTARI
S. IOĀIS B. DE VESTIMENTIS XPI ET DE
CRVCIS LIGNO. ET DE VESTE ET VELO
SCE MARIE DE RELIQVIIS SCI IOĀIS BA-
PTISTE ET APOSTOLORVM P A E ANDA
..... IIII. EVAGLIST. ET MM. DE PVERIS.
DE SCO STEFANO FABIANI ET SEBASTIANI —

IV. Inter ſacra Cimelia Crvx perantiqua etiamnum adſervatur ex aere inaurato, eleganti opere conſtructa, cryſtallis cum in antica tum in poſtica operta, quae ſeculi xiiii. ingenium, atque opificium referre videtur. In hac Hierotheca conlocatum fuiſſe in medio Sacrosanctae Crvcis Lignvm, & de Veste Christi praeclaram portionem, antequam in alteram recentiorem Crvcis Thecam ante deſcriptam transferrentur, vetus in ea-

eadem CRVCE ſculpta inſcriptis ita teſtatur, quam etiam ſuperius memorabam:

CRVX
DE LIGNO CRVCIS
ET DE
VESTE CHRISTI

Hanc vidi, & diligenter eius epigraphen exſcripſi; quam ſi figuris, quae in aliis CRVCIBVS occurrunt, vel Evangeliſtarum ſymbolis, ſacriſque emblematis ornatam vidiſſem, haud ſane ſumtibus peperiſſem, ut aëri inciſam in lucem proferrem; ſed praeter purum putumque opificium nil rari continet.

V. Exſtat etiam in noſtra Baſilica, & ſtatis ſolemnioribus Feſtis colendum proponitur, alterum Hierothecium ex ſolido auro, pretioſis gemmis ornatum, quod Diptychon quodammodo refert; nam tanquam volumen tribus conſtans Tabulis clauditur, quod olim pertinuit ad CAROLVM IV. Francorum Regem, qui illud, ut videtur, ſecum ante pectus detulit, quod in alia lucubratione deſcribam, & multa de eo notatu digna proferam. Conſtat, ut dicebam, tabulis tribus, quae ita inter ſe compactae ſunt, ut claudi poſſint. In mediana tabula, in qua varii loculi inciſi ſunt, diſpoſita ſpectantur varia PASSIONIS CHRISTI DOMINI Inſtrumenta, & in medio eorum particula e GLORIOSO CRVCIS LIGNO. Tabulas ad utrumque latus loculi faberrime facti implent, in quibus Imagines Sanctorum pictae, & ſub his eorum Lipſana, quorum nomina Gallico ſermone ſcripta leguntur.

VI.

VI. Alterum, ſed perparvum Ligni S. Crvcis ſegmentum apud nos ſervatur, quod clauſum cryſtallina thecula teſtamento huic Eccleſiae donavit Franciſcus Sanctinivs e Collegio XII. Presbyterorum, qui huic Baſilicae, & Pueris baptizandis deſerviunt, qui obiit iv. Nonas Februarias, anno mdccxvii. iuxta Aeram Florentinam, in cuius locum, iuſſu Cosmi III. Magni Ducis Etruriae, ego ſubrogatus fui.

CAPVT IIII.

Antiquiſſima Iesv Nazareni Crvcifixi *Imago*, *in eodem* Ligno Sanctae Crvcis *inſculpta deſcribitur.*

I. FAteor me fere ab adoleſcentia, quum huic Baſilicae Baptiſterii Florentini S. Ioannis in Clericorum coetu deſervirem, ac deinceps quum Sacerdos in XII. Presbyterorum Baptiſtarum Collegio eſſem cooptatus, impenſius colerem ſtudia eruditae Antiquitatis, quoties tam venerabile noſtrae Religionis, & Salutis Tropaevm populorum adorationi propoſitum contemplarer, ac deoſcularer, non ſolum obſtupuiſſe, conſpecta tam eximia Sacratiſſimi Ligni portione; verumetiam ſaepenumero ingenti admiratione ſubſpexiſſe ſingularem hanc Christi in Crvce pendentis Imaginem, cui in hiſce Florentinis Eccleſiis nec ſimilem, nec ob ſculpturam in eo factam, vetuſtiorem, ad hoc tempus obſervare mihi contigit. Iamdudum cogitaveram de ea differere; tandem id haud diutius differendum cenſui, poſtquam eam delineandam curavi. Dum ad hanc lucubrationem animum adiicerem

rem meum, optimum duxi eam amicis deſcribere, & miſſo per epiſtolam ſchemate mea manu delineato, coepi rogare eos, ut quid de ea ſentirent, actutum patefacerent, ac praeſertim, ſi quid adnotatum iam haberent de Christi Crvcifixi Capite Mitrato, ſive Tiara Pontificia coronato, humaniſſime ad me perſcriberent. Statim hi reſponderunt, perinſigne ac prorſus ſingulare eſſe hoc divini Capitis Redemptoris in Crvce pendentis ornamentum: nec ſe ad hoc tempus alterum ſimile obſervaſſe, neque legentibus adſimile exemplum occurriſſe.

II. His intellectis, animo haud deſpondi meo, ſed tanto alacrius ſculpturam hanc explanare, & ſacrorum monumentorum Cultoribus oſtendere adgreſſus ſum. Id vero antequam praeſtem, opere pretium me facturum arbitror, ſi ipſam Venerabilem Ligni Sanctae Crvcis Iconam, in propoſita Tabula diligenter expreſſam, per ſingulas partes adcurate deſcribam. Primum illud notandum eſt in ipſo Almifico Ligno Sanctae Crvcis, anaglypho opificio nunc eminentiore, nunc depreſſiore plures quodammodo Crvces inſculptas adparere, quas ornamenta quaedam conficiunt; nam duplex unionum linea, & extimi limbi perpulcre eas ornant, ac diſcrimine ipſo eas efficiunt. Itaque priorem Crvcem, ut intuentibus adparet, ad oram efformat circumquaque extimus limbus: ſecundam conſtituit ornatus ille unionum continuus: tertiam planities exſciſa demiſſior; reliquas vero Crvces lineae unionum, vel paullo eminentiores efficiunt, donec ad maiorem ac latius patentem Crvcem devenitur, in quo Christvs in ea adfixus ſculptus eſt. Haec, minima

licet,

licet, notatu digna mihi viſa ſunt, quod eadem ornamenta, & quodammodo repetitae Crvces in averſa eiusdem Admirandi Ligni parte, quae in eadem Tabula adfertur, non conſpiciantur; ſed ipſum totum purum putumque ſit. Licet ornamenta, quae in antica Sancti Ligni parte ſculpta viſuntur, nempe coronides, & unionum crebrarum continuae lineae, proculdubio ſupervacanea cenſeri poſſint; tamen neque in hoc ingenio ſuo Caelatorem indulſiſſe crediderim; qui quum videret frequenter Crvces expoſitas in Baſilicis ornatas gemmis pretioſis: voluit & hanc Crvcem, e vero Ligno Crvcis, ornare gemmis, quibus quotquot fuere in orbe gemmae, & pretioſi lapilli, & ſunt, & erunt ad mundi finem, nullo modo ſunt comparandi.

III. Nunc ad ipſam Crvcifixi Redemptoris Imaginem deſcribendam gradum facio. Ea anaglyptica caelatura admodum rudi, & aliquantulum eminentiore ſculpta eſt. Mediator hominum Christvs Iesvs, verus Dei Filius, quatuor clavis in Crvce defixus cernitur. Toto corpore nudus eſt, pendetque ab umbilico uſque ad genua femorale, ſive e panno ſubligaculum ſatis breve, non ut in aliis longe prolixius; ex qua nota arguimus ſequioris aevi ſculpturas, vetuſtate haud tam remota inſignes. Putarunt aliqui ex noſtris, qui multa notatu digna, quae in hoc Florentino Baptiſterio exſtant, ſibi deſcripſere, hanc Christi Crvcifixi Imaginem veſte amictam eſſe; ſed diligenter mihi inſpicienti, aliiſque ad inſpiciendum adcitis, perſpicue patuit, nudum eſſe Cristi Crvcifixi pectus, nuda brachia, nuda crura, & pedes; his membris exceptis, quae brevi illo ſubligaculo cooperiuntur. Eiusdem Christi Nazareni in Crvce de-

deſixi vultus imberbis, pluſquam decet, procerus, & late petens eſt; at licet ſculptura ipſa valde rudis, ut monebam, ſit; tamen ad gravitatem, dignitatemque compoſitus adparet: quapropter licet ſervata non ſit cum reliquis membris ſymmetria, & proportio; tamen vivum ac videntem refert ipſum Redemptorem humani generis, non vero ſemianimem, atque animam exhalantem: quin etiam ita expreſſus eſt, ut populum ſuo ſanguine redemtum videatur defixis oculis intueri. Oculi cavi ſunt; nam duo ſatis profunda (parva licet) foramina eos conficiunt; quare coniecturae locus, ſi quis velit, ac probet, eſſe poteſt, antiquitus in his honoris gratia inſertos fuiſſe pretioſos lapillos. Hoc decus veteres Chriſtiani tribuerunt, ad dignitatem oſtendendam, ſacris Imaginibus, & hunc morem ad ſequiora uſque ſecula ſervatum, iam Eruditis notum eſt, & nos alibi etiam obſervavimus. Ad rem noſtram facit adorabilis Christi in Crvce pendentis palmaris Imago ex aere pervetuſta, quae in meo Muſeo ſervatur; in qua Crvcifixi Iesv oculi e nigro vitro, veluti ex onyche, inſerti ſunt, & auguſtiorem reddunt ipſam Imaginem; eius vero ſubligacula ex encauſto, vulgo *ſmalto*, caeruleo, & rubro, picta cernuntur; reliqua vero corporis membra, ex reliquiis, quae ſuperſunt, auro ſuperfuſo contecta fuiſſe adparent. Et in hac quoque Imagine Christvs vivo ſimilis eſt, ſine promisſa barba, ſed tantum punctis quibusdam crebris indicata; capite vero coronam praealtam gerit, regiam quidem, quae ipſi Regi Regum, & ſeculorum immortali convenit; nam tribus radiis in vertice latis conſtat; & ſane in medio radius quidam ſurſum adſcendit, qui exit e faſcia exſtima, ca-

piti proxima, quae illud circumdat. Pedes (redeo ad Baptiſterii Florentini Crvcem) inſiſtunt ὡποπόδιῳ parvo, ſive ſcabellulo, de quo nonnulla inferius adnotabimus. At, quod eſt notatu dignum, prorſuſque rarum, Iesvs Nazarenvs caput habet Mitra, ſeu Tiara Pretiosa Pontificia ornatum, quod nunc primum doctis Viris expendendum propono.

IV. Erunt fortaſſe aliqui, qui temeritatis nota culpabunt Caelatorem ipſum antiquiſſimum, qui auſus eſt in hoc Sacerrimo Gloriosae Crvcis Ligno, de quo agimus, anaglyptico opificio, licet valde humili ac demiſſo, inſculpere Imaginem Christi Domini Crvcifixi. Sed his reſpondebo, eum minime culpandum eſſe, neque temeritatis nota inurendum. Primum, ſi antiquorum temporum indolem, & mores reſpiciamus, iam inde penes Orientis, ac praeſertim Palaeſtinae populos Chriſticolas, uſum inoleviſſe videbimus, ſculpendi in ipſo Sacroſancto Crvcis Ligno non ſolum litteras, verum etiam eiusdem Crvcifixi Redemptoris Imaginem, cuius exempla non deſunt. Praeclariſſimum in Eccleſiaſtica Hiſtoria huiuſce ſculpturae monumentum iam praetereundum eſſe non arbitror. Exſtat & adhuc adſervatur in Sacrario Apoſtolico Particula ex pretioſo, & vivifico Ligno Sacratiſſimae Crvcis Iesv Christi Domini Nostri, qua maiore alibi non inveniri teſtatur eidem Sacrario Apoſtolico Praefectus Vir Celeberrimus Fr. Angelus Rocca ex Ordine S. Auguſtini, Epiſcopus Tegaſtenſis, in ſuo Commentario, quo eam non ſolum deſcripſit, & illuſtravit; verum etiam Iconem protulit. Coniicit praeclarus Auctor eam dono miſſam Sancto Leoni Papae, natione Tuſco, qui ſedit ab anno

Chri-

Chriſti ccccxl. ad iiI. Id. April. anni ccccLxi. huius nominis primo, ex Epiſtola eiusdem Leonis ad Iuvenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum, in qua in ſine haec memorat: *Particulam* Dominicae Crvcis *cum Eulogiis dilectionis veſtrae veneranter accepi*. Cenſet hanc ipſam eſſe Divinae Crvcis particulam, quam Sergius I. Pontifex Maximus trecentis circiter poſt annis in Sacrario Beati Petri Apoſtoli invenit, teſte Beda, eidem ſynchrono: *Papa* Sergivs *in Sacrario Beati Petri Apoſtoli capſam argenteam, quae in angulo obſcuriſſimo diutiſſime iacuerat, & in ea* Crvcem *diverſis, ac pretioſis lapidibus adornatam, Domino revelante, reperit; de qua tractis quatuor petalis, quibus gemmae incluſae erant, mirae magnitudinis portionem* Ligni Salvtiferi *Dominicae* Crvcis *interius repoſitam inſpexit; quae ex tempore illo annis omnibus in Baſilica Salvatoris, quae adpellatur* Conſtantiniana, *die Exaltationis eius ab omni oſculatur, atque adoratur populo*. Eadem memorantur in Sergio I. inter Vitas Summorum Pontificum, quae Anaſtaſio Bibliothecario tribuuntur; item ab aliis auctoribus, quos idem Rocca recenſet. Pontificalis quoque Liber declarat capſam illam ſummo Hierarchae Sergio vix argenteam adparuiſſe, *ex nigredine tranſactae annoſitatis*. Porro haec tam memorabilis Portio Ligni Sanctae Crvcis, (quam fere aequat magnitudine ſua haec recondita in Sacrario Baptiſterii Florentini) variis Imaginibus ſacris cum in adverſa, tum in averſa parte in ipſo Sacratiſſimo Ligno inciſis, ornata eſt. In ea, in qua Chriſtus Salvator ac Redemptor noſter Crvci adfixus cernitur quatuor cum clavis, capite ornato nimbo, cum aſſerculo ſub pedibus, ſive ſcamnulo, & femoralibus praecinctus, duode-

cim exſtant Sanctorum Imagines, quas ne nimius ſim, Lectorem ad eum ablegare ſatius duco. Iam igitur perſpicue liquet, quam antiquus ſit uſus ſculpturis ornandi Sacratiſſimae Crucis Lignum.

V. Ex his conſtat Invictissimum Sanctae Crucis Lignum, non ſolum Crucifixi Imagine, verum etiam ſacris Imaginibus caelari a ſeculo v. ac deinceps conſueviſſe; adeoque minime vertendum crimini, vel nimiae Caelatoris temeritati tribuendum, ſi hoc Ineffabile Lignum Crucis ita inſculpſit. Praeterea opinari poſſumus, id ab eo factum iuſſu Sancti alicuius Antiſtitis, ut exciſis illis particulis aliae Eccleſiae ditarentur. Equidem, ſi adſerere aequo iure non poſſumus, eum ſine iudicio, aut aliorum conſilio ductuque, atque ut probabile eſt, antiquorum Eccleſiae Patrum iuſſu ac praeſcriptione, expreſſiſſe Christum Dominum Cruci adfixum ornatum Pontificio Regno, ſive Mitra, aut Tiara; haud etiam credendum erit, id inconſulte atque ex ingenio, arbitratuque ſuo fecisſe. Credibile tamen eſt ſculpſisſe in Triumphali Ligno Imaginem Redemptoris Crucifixi, ut uſus per ea tempora ferebat. Quam vero ſcite convenienterque inſculpſerit Mitratum eius Caput, ex dicendis patebit. In rebus maximi momenti, ac praeſertim ad Religionis myſteria probe exhibenda ſpectantibus, conſtat primoribus Eccleſiae ſeculis, oſtenſumque eſt a Viris doctiſſimis, ac ſacrae Antiquitatis peritiſſimis, nunquam peccaſſe ſacros Pictores ac Sculptores; nam in his exprimendis a tradita Sanctorum Patrum inſtitutione, & praeceptis ſapientiſſimis haud diſceſsere. Exploratum eſt veteres Eccleſiarum Antiſtites iisdem normam, & exempla praebuiſse, ſive Hiſtorias ſacras cum veteris, tum

novi

novi Teſtamenti pingerent, aut ſculperent, quod non ſolum Conciliorum Decreta aperte oſtendunt; verum etiam monita ipſa, & praeſcriptiones Sanctorum Patrum perſpicue teſtantur, & innumera documenta praebentur a S. Paulino Nolae Epiſcopo, a S. Damaſo Pontifice Maximo, a S. Ambroſio, atque etiam a D. Gregorio Nyſſeno, qui in edita Epiſtola, in lucem prolata a Cl. Caracciolo, in Piſano Lyceo eximio Profeſſore, Templi ſtructuram, qualem eſſe cupiebat, & fieri iuxta veterem Eccleſiae diſciplinam oportebat, deſcripſit. Legenti mihi S. Paulini opera, probabile admodum viſum eſt, ſacrarum picturarum, quas deſcribit luculenter, & accurate, hiſtorias, vel ipſum delineaſſe, vel verbis perſpicue expreſſiſſe ſacris Opificibus, ut eas adcurate exprimerent, ac ne eas exprimendo a veritate aberrarent Quare nec Caelatorem noſtrum arbitratui ſuo indulſiſſe credendum eſt, dum fecit Iesv Crvcifixo Mitratum Caput.

CAPVT V.

De ſymbolicis figuris Christvm Crvcifixvm *ſignificantibus apud primitivos Chriſtianos.*

I. Antequam de Mitrato Christi Crvcifixi Capite agam, & ſingula, quae ſculpta conſpiciuntur in Divino Crvcifixi Ligno, quod in Sacrario Florentini Baptiſterii adſervatur, elucidem, nonnulla praemittenda mihi videntur, quae in ſcopum huiuſce mei Commentarii, ni fallor, opportune conſimant. Primum igitur, quum occaſione hac expendendum mihi propoſuerim, quo

 nam

nam Eccleſiae ſeculo apud veteres Chriſtianos obtinuerit glorioſae Imaginis Christi in Crvce quatuor clavis adfixi ante omnium oculos in ſacris Synaxibus expoſitio, ut ordine quoad fieri poteſt perſpicuo procedam, de ſymbolis ipſum Iesvm Christvm Dominum noſtrum in Crvce pendentem ab ipſis Eccleſiae cunabulis praeſignantibus, breviter pertractandum eſſe cenſeo. Ne qua vero in his elucidandis, expendendiſque oriatur confuſio, totum tempus a Christi Crucifixione ad ſecula nobis proximiora elapſum, in tres ſeculorum ſeries diſpertiri poſſe arbitror; adeo ut prima ſeries, quinque eiusdem naſcentis, & ſurgentis, totoque orbe diffuſae Eccleſiae ſecula reſpiciat; ſecunda ſeries ſequentia quinque ſecula; poſtremo tertia ſeries alia quinque ſequiora, & infima ſecula complectatur.

II. Quod adtinet ad priorem ſeriem, etſi Sanctiſſimi Apoſtoli ac Diſcipuli Domini, & Confeſſores, ubique gentium praedicaverint Iesvm Christvm, & hunc quidem Crvcifixvm, uti eorum Acta, & Divinorum Scriptorum oracula nobis teſtantur; quod frequenter oſtendit maximus Christi Crvcifixi, atque eius Crvcis Praeco, D. Paulus in ſuis Epiſtolis, & diſertis hiſce verbis ad Galatas Cap. II. v. 19. & 20. *Chriſto confixus ſum* Crvci *: vivo autem, iam non ego: vivit vero in me* Christvs*. Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſe ipſum pro me*. Et ad Corinthios I. v. 23. *Non autem iudicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi* Iesvm Christvm, *& hunc* Crvcifixvm; haud tamen perſpicue conſtat in ſacris veterum Chriſtianorum myſteriis Redemptorem noſtrum in

Crv-

Crvcis patibulo ſuſpenſum primoribus ſeculis colendum, atque adorandum expoſitum fuiſſe. Profecto eiusdem Crvcifixi Imagines tam remotae vetuſtatis ad nos (quod ſolicite inveſtigandum mihi propoſui) non pervenere ; nec in SS. Patrum ſcriptis memorantur, aut deſcribuntur. Adſertur ex Epiſtola D. Pauli ad Galatas Cap. iII. ver. 1. inſignis locus, quo aliqui eruendum cenſent apud eosdem Galatas exſtitiſſe Christi Crvcifixi Imagines in Eccleſia. Ita enim Gentium Doctor admirabilis ſcribit: *O inſenſati Galatae, quis vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos* Iesvs Christvs *praeſcriptus eſt, in vobis* Crvcifixvs? In hunc locum videndus Celeberrimus Gretservs Soc. Ieſu Presbyter in Tractatu de Crvce Lib. iI. Cap. 1. qui cenſet Imagines Sanctae Crvcis, & Crvcifixi eſſe antiquiſſimas, & ab ipſis Apoſtolorum temporibus fieri ſolitas: quod ego quidem adfirmo; ſed expoſitas primis naſcentis, ac ſurgentis Eccleſiae ſeculis, adcuratius elucidandum cenſeo; nam id diſerte expreſſum, teſtatumque non invenio. Quod adtinet ad adlatum D. Pauli ad Galatas teſtimonium, quo probare conantur in Galatarum Eccleſia Dominum noſtrum Crvcifixvm omnium oculis expoſitum fuiſſe; id nec perſpicuum eſſe, nec menti D. Pauli conſonum eſſe adfirmo, auctoritate S. Ioannis Chryſoſtomi, qui illud fuſius, & perſpicue explicat. Pauca haec adfero: Καὶ οὐκ εἶπεν, ἐϛαυρώθη, ἀλλὰ προεγράφη ἐϛαυρωμένος: *Nec dixit Crucifixus eſt; ſed, praeſcriptus eſt Crucifixus*: Patet D. Paulum non loqui de vera Iesv Crvcifixi ſive pictura, ſive ſculptura; ſed Galatas reprehendit, qui quum fidem accepiſſent, ſe ſeduci permiſiſſent, quaſi neſciſſent ſe Christi Crvcifixi legem

amplexos eſſe. Videndus etiam Cl. Io. Chriſtophorus Wolfius in ſuis Curis Philologicis, & Criticis Tom. III. in priores S. Pauli Epiſtolas, qui Doctorum Interpretum propoſitis variis huius vocis προεγράφη dilucidationibus in hunc locum, opinionem ſuam ita exponit pag. 719. *Mihi quidem ſimplicius, & verius dici videtur, quod phraſi hac metaphorica claritas, & perſpecuitas, qualis pictis imaginibus propria eſt, praedicationis Paulinae, prototypo Chriſto exacte reſpondentis, & ab ipſis Galatis olim agnitae, innuatur*. Mox adlata Chryſoſtomi ſententia, ſubdit. *Recte optimus Doctor vocem* ἐσταυρωμένος, *cum* τῷ προεγράφη, *immediate coniungit; ut ſcilicet adpareat, quae* Christi *effigies, ſeu figura Galatis contemplanda ſit propoſita. Hoc ſenſu Ignatius Epiſt. ad Philadelph.* Crucem Christi, *nempe praedicatam, adpellat* τρόπαιον, ὅπερ ὁρῶν (ſcilicet ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου) φρίττει, καὶ ἀκούων φοβεῖται. Igitur videtur D. Paulus increpare Galatas, quod Iesum, quem antea praedicatione ſua ante eorum oculos Crucifixum, quodammodo ad vivum depinxerat, & oſtenderat, & in eorum cordibus altius inſculpſerat, nunc seducti ab eo diſcederent, & faſcino dementati veritati obedire detrectarent.

III. Cur iidem Sanctiſſimi Eccleſiae Praeſules, Iesum Crucifixum primaevis Chriſtianis non propoſuerint, docti ſacrarum Antiquitatum Interpretes eruunt ex verbis B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios Epiſt. 1. ver. 22. & 23. *Quoniam & Iudaei ſigna petunt, & Graeci ſapientiam quaerunt: nos autem praedicamus* Christum Crucifixum, *Iudaeis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Iudaeis, atque Graecis*

Chri-

Christvm *Dei virtutem, & Dei ſapientiam*. In hunc locum haec adnotat D. Hieronymus: *Iniuria Domini noſtra gloria eſt: ille mortuus eſt, ut nos viveremus; ille deſcendit ad inferos, ut nos adſcenderemus ad caelos; ille factus eſt ſtultitia, ut nos fieremus ſapientia*. Itaque quum primi Fideles, ſive ex Iudaiſmo, ſive ex Gentilitate ad Christi Fidem converterentur, atque ex his multi erubeſcerent Christvm Crvcifixvm uti Deum adorare, quod etiam frequenter viderent eodem crucis ſupplicio adfectos latrones, hominesque noxios in cruce ſuffixos, & pendentes; eorum fragilitati indulgentes vigilantiſſimi Eccleſiae Paſtores, opportunum iudicarunt eorumdem oculis ipſum Nazarenvm in patibulo ſuſpenſum non exponere, uti animadvertunt Viri Celeberrimi Aringhivs Rom. Subterran. T. II. Lib. vi. Cap. xx. pag. 577. cuius ſententiam mox adferam, Casalivs de Vet. Chriſtian. Ritib. Cap. II. p. 3. & 4. & Ciampinivs de Sacris Aedificiis Cap. iv. pag. 45. Alia mihi ſuppetit cauſa, quam Aringhivs, Casalivs, & Ciampinivs non adferunt, ut inde adſtruam minime oſtenſum primitivis Fidelibus Christvm Nazarenvm in Ligno ſuſpenſum; ſed dumtaxat ſymbola quaedam, quae eum pro redemptione hominum in Crvce paſſum, & mortuum ſignificarent; nempe ut irriſionibus Ethnicorum praecluderent aditum, qui, teſte Minvtio Felice, & Arnobio Lib. I. adverſus Gentes, Chriſtianis inſultabant, & maximo opprobrio vertebant, quod colerent hominem hominum noviſſimum, deſpectum, & inter ſceleratos deputatum, teterrimo Crvcis ſupplicio, ac ſervili poena adfectum ac damnatum; quod etiam ex ſinceris Sanctorum Martyrum Actis perſpicue colligimus. Id diſerte teſtantur SS. Patres, quos adferre ſuperſedeo, quia res eſt explora-

ratiſſima. Loca tantum duo adferam D. Auguſtini, qui haec ſcribit Tomo x. de Converſione Pauli: *Nolo erubeſcamus de* Christi *nomine. Inſultetur nobis, quod credimus in* Crucifixum, *occiſum*. Et Serm. viii. de verbis Apoſtoli: *De* Cruce Christi *nobis inſultant ſapientes huius Mundi, & dicunt: quale cor habetis, qui Deum colitis* Crucifixum? His adde Lactantium Divin. Inſt. Lib. iv. Cap. 16. Iſidorum Peluſiotam Lib. iv. Epiſt. 29. Euſebium in Vita Conſtantini Lib. iiI. Cap. i. ut hinc etiam animadvertamus haec Paganorum in Chriſtianos ſcommata per aliquot ſecula perduraſſe, atque, ut videtur, toto praeſertim tempore, quo ſaeviſſimae Ethnicorum in priſcos Fideles perſequutiones perdurarunt; quibus irriſionibus ne anſam ultro praeberent Chriſtianae pietatis Moderatores; & ut Neophytorum imbecillitati conſulerent, cavendum eſſe cenſuerunt, ni fallor, ne Christus in Cruce adfixus exponeretur; ſed tantum Crucem, & ad eorum captum aptiora quaedam ſymbola, & figuras propoſuerunt, quae amariſſimae Christi Paſſionis myſterium, & ipſum in carne pro omnium ſalute paſſum adumbrarent, & perſpicue ſignificarent.

IV. Inter has ſymbolicas figuras, quae Iesum Nazarenum Crucifixum mentis oculis repraeſentant, praecipuum locum apud primaevos Christi Fideles obtinuit Pastoris Boni Imago, qua nil frequentius in vetuſtioribus monumentis, quae iam a Celeberrimis Viris, & de ſacris primorum Christi Fidelium reliquiis, ac monumentis optime meritis, Boſio, Aringhio, Ciampinio, Boldettio, Bonarrotio, Bottario edita, ac luculenter illuſtrata ſunt, occurrit. Hunc ita praenuntiarunt Prophetae, Ieremias Cap. xxxi. v. 10. Ezechiel Cap. xxxiv. v. 11.

v. xi. & ſeq. & Cap. xxxvii. v. 24. Michaeas Cap. I. v. 12. Zacharias Cap. xiii. v. 7. David Rex, & Propheta Pſal. xciv. 7. Sed clarius prae ceteris Iſaias Cap. xl. v. 10. & 11. his verbis: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut* Pastor *gregem ſuum paſcet: & in brachio ſuo congregabit* Agnos, *& in ſinu ſuo levabit, foetas ipſe portabit*. D. Hieronymus in hunc Iſaiae locum: *Iſte, qui poſtea in maieſtate venturus eſt, potius formam* Pastoris *accipit*. Idem Iſaias Cap. liii. 6. ut clarius adpareat Pastorem Bonvm eſſe Christvm, qui pro noſtra ſalute animam ſuam poſuit, & Crvcis tormentum, atque opprobrium ſubivit, haec inquit: *Omnes nos quaſi* Oves *erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit; & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*. Hac typica Imagine deſignari Christvm, certum eſt, & docent SS. Patres, de qua plura apud Cl. Huetium. Quamvis & Deo eadem conveniat, ut obſervat Praeſul Celeberrimus Bottarivs in Tab. lxxx. Romae Subterr. pag. 75. tamen Salvatori, ac Redemptori noſtro ita convenit, ut ipſe hoc potiſſimum typo Eccleſiae ſuae ſe exhibuerit, pinxerit, ac repraeſentarit, ut perhibent divini Evangeliſtae. Nam habetur Matthaei Cap. xxvi. 31. *Scriptum eſt enim: percutiam* Pastorem, *& diſpergentur* Oves *gregis*. Et Ioannis Cap. x. v. 11. *Ego ſum* Pastor Bonvs. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro* Ovibvs *ſuis, &c.* Mox: *Ego ſum* Pastor Bonvs, *& cognoſco meas, & cognoſcunt me meae*. Hoc emblema adgnovere Sancti Apoſtoli, & Eccleſiae Catholicae Antiſtites; nec alium ſub figura Pastoris Boni, quam Iesvm Christvm pro nobis in Crvce paſ-

ſum

ſum intellexerunt, & adorarunt, teſte B. Paulo ad Hebraeos Cap. XIII. v. 20. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis* Pastorem Magnum *ovium in ſanguine Teſtamenti aeterni, Dominum noſtrum* Iesum Christum, *aptet vos in omni bono.* Et B. Petrus Christi Vicarius, & eius Eccleſiae Magiſter in Epiſt. I. Cap. II. v. 25. *Eratis nunc ſicut* Oves *errantes, ſed converſi eſtis nunc ad* Pastorem, *& Epiſcopum animarum veſtrarum.*

V. Hiſce divinarum Scripturarum oraculis nil diſertius. Minime igitur dubitandum inter praecipuas naſcentis Eccleſiae picturas recenſendas eſſe Imagines Boni Pastoris, & Agni Dei immaculati, de quo mox dicam. His typicis figuris Fidelibus repraeſentabatur Iesus Christus Dominus noſter, qui pro ovibus ſuis animam ſuam poſuit, ſanguinem fudit, & eas in Cruce adfixus, & occiſus redemit. Profecto id eſt meridiana luce clarius, quum frequentiſſime in myſtica figura Pastoris Boni exhibeatur Christus in picturis ipſis vitreorum calicum, & vaſculorum, quibus primitivi Chriſtiani uſi ſunt, occurratque etiam in vetuſtiſſimis ſculpturis Bonus Pastor, oviculam in humeris ferens, &, quod obſervatu dignum, non raro cernatur pictus in medio multorum emblematum veteris Teſtamenti, uti videre eſt in adlata vitrei calicis lamella apud Cl. Bonarrotium Tab. I. num. I. quam luculenter illuſtrat. Alia quoque multa apud eum huius ſacri emblematis exempla adferuntur in Tab. IV. & VI. & in Tab. V. in qua circa Pastorem Bonum, feſtiva adclamatio picta eſt hiſce litteris: Concordi bibas (nempe vivas) in Pace Dei. Hanc typicam figuram Tertullianus in Libro de Pudicitia

citia Cap. x. adfirmat pingi conſueviſſe in Calicibus Chriſtianorum, nec alium referre Pastorem Bonvm, niſi Iesvm Christvm. Frequenter occurrit Imago Pastoris Boni in eorumdem Chriſtianorum Coemeteriis ornatis picturis ſacris, in marmoreis ſarcophagis, in lucernis, quae inexhauſta, ac recondita eruditione a Praeſtantiſſimo Praeſule Ioanne Bottario, Vaticanae Bibliothecae Praefecto illuſtrata ſunt, & adhùc in Romae Subterraneae Tomis illuſtrantur. Occurrit etiam Bonvs Pastor lineari caelatura ſculptus in titulis ſepulcralibus Fidelium primitivae Eccleſiae, ut videre eſt apud Cl. Boldettvm de Sacris Vrbis Coemeteriis pagg. 361. 362. 363. 364. 369. & 377. & in pluribus vitreorum Vaſculorum ſacrorum lamellis, ab eo quoque adlatis. Huius emblematis ſacri uſus per aliquot ſecula ab ipſis Eccleſiae Dei cunabulis, maxime vero tribus prioribus invaluit, ac frequens fuit.

VI. Conſtat etiam ex aliis primitivae Eccleſiae monumentis Salvatorem noſtrum non tantum ſimplicis Pastoris Boni effigie priſcis Fidelibus repraeſentatum fuiſſe, verum etiam effigie ſua, adiectis certis divinitatis notis; nam in vetuſtiſsimo Chriſtianae Religionis monumento, adlato primum ex ſuo Muſeo ſuo a Casalio de Veteribus Chriſtianorum Ritibus Cap. xlii. in quo agit *de Lucernis Chriſtianorum, & aliis Luminibus*, *pag.* 228. mox iterum producto a Celeberrimo Paulo Aringhio Tom. II. Romae Subterran. Lib. vi. Cap. xxxvii. pag. 616. & luculentis obſervationibus illuſtrato, contemplari quiſque poteſt ipſum *Paſtorum Principem* Iesvm Christvm Dominum noſtrum, pallio, & tunica amictum, cum

ra-

radiis eius caput ambientibus, atque ornantibus, oviculam perditam in ſuis humeris ferens; quo nil clarius eſſe poteſt, ut animadvertamus Sacramentum Dominicae Paſsionis hoc myſtico typo expreſſum, quod operatus eſt Christvs, verus Devs & Homo; quum in aliis monumentis, in quibus iisdem Boni Pastoris propriis veſtibus amictus cernitur, idem ſignificetur, ſimulque expreſsius declaretur, quam maxima eius fuerit humilitas, qui (ut ait Paulus Apoſtolus ad Philippenſes Cap. II. v. 6. *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe aequalem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit* Formam Servi *accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem* Crvcis. Ipſe etiam Redemptor noſter de ſe ita loquitur Lucae Cap.xix. ver. 10. *Venit Filius hominis quaerere, & ſalvum facere, quod perierat*. In alia ſacra ſculptura, cuius apographum ad me exſtat, Pastor Bonvs penulatus cernitur, peregrinantium more, qua etiam ſpecie ſe obtulit Christvs Dominus Diſcipulis in Emaus euntibus.

VII. Alio typo Christvs Iesvs Crvcifixvs propoſitus eſt primitivae Eccleſiae Fidelibus, nempe ſub ſpecie Agni Immacvlati, qui vel ſtans ſupra montem, vel iacens occiſus in altari, in vetuſtiſſimis monumentis ſaepe numero exhibetur. Interdum Crvcem defert humero inſiſtentem, & quidem erectam; interdum etiam vertici capitis ſui eam impoſitam gerit, ut videre eſt in ſculpturis Rom. Subter. & apud Cl. Bottarivm Tab. xxi. xxii. Hunc ſignificavit apud Hebraeos Paſchalis Agnus; hunc Prophetae deſignarunt, & futuram pro pecca-

catis totius mundi hoſtiam in ara Crvcis praedixerunt. Iſaias Cap. 16. v. 1. *Emitte* Agnvm *tuum Dominatorem terrae, de petra deſerti ad montem Filiae Sion*. Et Cap. 53. v. 7. *Sicut* Ovis *ad occiſionem ducetur, & quaſi* Agnvs *coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum*. Quam Ovem, & Agnvm, non alium eſſe praeter Iesvm Christvm Dominum noſtrum docuit S. Philippus virum Aethiopum, Candacis Reginae Aethiopum Eunuchum, atque eius regiae Gazae Praefectum, ut Apoſtolorum Acta Cap. viii. v. 37. teſtantur. Hunc ipſum Agnvm non ſemel adgnovit, & digito ſuo monſtravit Praecurſor Domini Ioannes, inquiens: *Ecce* Agnvs *Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi*. Nec dubium primaevos Eccleſiae Fideles, dum Agni imaginem ſibi propoſitam venerabundi reſpicerent, ſtatim non intellexiſſe, & cognoviſſe, ſe pretioſo Agni ſanguine redemptos, ut docet B. Petrus, columna, & fundamentum Eccleſiae Christi, qui ait Epiſt. 1. v. 18. & 19. *Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternae traditionis; ſed praetioſo ſanguine quaſi* Agni *immaculati* Christi, *& incontaminati*. Conſonat B. Paulus ad Corinthios 1. Cap. 5. v. 7. *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt* Christvs. Frequenter etiam in divina Ioannis Apocalypſi Agni ſpecie pingitur, uti Cap. 1I. v. 6. & ſeq. *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum,* Agnvm *ſtantem tanquam occiſum . . . . Et cum aperuiſſet Librum, quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram* Agno. Eidem Agno, aperienti Librum viginti quatuor Seniores cum cytharis, & phialis aureis plenis odoramentorum,

occi-

Digitized by Google

quae ſunt orationes Sanctorum, cantabant canticum novum dicentes: *Dignus es, Domine, accipere Librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deus in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram*. Ex his caeleſtibus Revelationibus priſci Chriſtiani ſacras acceperunt picturas, quibus Coemeteria, Eccleſias, & domos ſuas ornarunt, quarum uſus frequens per plura ſecula duravit. In poculis, quibus in ſacris epulis utebantur, Agni, & Boni Pastoris imagines exprimendas curarunt; de quibus venerandis imaginibus, Christum Redemptorem, pro ſalute humani generis in Cruce ſuſpenſum, paſſum, & mortuum deſignantibus, quum pro eorum explicatione ſacrae Antiquitatis theſauros uberrime depromſerint Viri Praeſtantiſſimi Boſius, Aringhius, Caſalius, Ciampinius, Boldettius, Blanchinius Tom. II. Anaſtaſiani Pontificalis pag. 247. & prae ceteris valde luculenter Bonarrotius, ac praeſertim Bottarius, qui in his expendendis inexhauſta eruditione adlaborarunt, nil mihi dicendam ſupereſſe videtur, ni velim eorum gazas expilare. Etenim, ut ſupra monebam, imagines Pastoris Boni, & Agni non tantum in pateris, & vaſculis veterum Chriſtianorum frequentiſſime exhibentur, quae longe vetuſtiſſima eſſe oſtendit illuſtris Bonarrotius in Praefatione ſui Operis pag. xii. & xiii. verum etiam in ſarcophagis, in ſepulcris, in lucernis, & in antiquis Eccleſiarum tribunalibus, & triumphalibus Arcubus muſivo opere pictis, qui a Cl. Ciampinio ingenti copia adferuntur, & illuſtrantur. Quanta ſit horum venerandorum emblematum antiquitas teſtantur S. Pauli-

nus

nus Nolanus, qui eadem in ſuis Baſilicis propoſita deſcribit elegantibus carminibus, quae paſſim ab Hagiographis adferuntur, & illuſtrantur. Ex his etiam liquet, quod valde haec laudabilis conſuetudo increbuit, & non Romae ſolum, verum etiam Ravennae, atque in aliis toto orbe vetuſtioribus Eccleſiis, & per complura ſecula duravít. Exſtat etiam Florentiae exemplum Agni Immacvlati Crvcem ferentis, picti opere muſivo cum duodecim per gyrum Apoſtolis in abſide Arcus Triumphalis huiuſce Baſilicae Florentini Baptiſterii, qui additus eſt loco antiquae Porticus, cuius operis, uti ex epigraphe conſtat, eximius Pictor muſivarius Florentinus fuit Fr. Iacobus Turrita, ex Ordine S. Franciſci Anno D. mccxxv. Ne vero quis dubitet, aut eat inficias, Agnvm deſignaſse Christvm Crvcifixvm, alia monumenta damus apud eumdem Ciampinium adlata Par. iI. Tab. xv. & eximium exemplar adducimus apud Caſalium de Sacr. Chriſtianor. Ritibus Cap. iI. pag. 4. quo exhibetur cum Crvce Agnvs monti inſiſtens, e quo quatuor Evangeliorum flumina manant, e cuius pectore vulnere perforato, ſanguis in Calicem defluit eidem ſubiectum; ad quod reſpiciens Summus Pontifex Innocentius III. Myſteriorum Miſſae Lib. iv. Cap. 44. inquit: *Non enim ſolum lavit nos* Christvs *a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quando ſanguinem ſuum fudit in* Crvcis *patibulo; verum etiam quotidie nos lavat a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quando eius ſanguinem accipimus in Calicis poculo.*

VII. Cum Agni Imagine, vel in monte ſtantis, ad quem oves currunt, & adcedunt, vel cervi ad ſalutares aquas ſitientes properant, quibus Fide-

les deſignantur, vel in Ara poſiti tanquam occiſi, propoſitum non raro cernitur in ſacris Picturis Eccleſiarum ex muſivo opere antiquiſſimis, Sacrosancti Evangelii Volumen, quo ipſe Christus intelligebatur, ut auctor eſt Caroli Magni Magiſter Albinus Flaccus, ſive Alcuinus. Exemplum deſumptum videtur ex divina Apocalypſi Beatiſſimi Prophetae, & Evangeliſtae Ioannis, e qua veteres Antiſtites complura emblemata, quae in Eccleſiis pingenda curarunt, accepiſſe manifeſtum eſt; nam Cap. v. quum ipſe fleret, quod Librum ſeptem ſigillis ſignatum nemo poſſet aperire, vidit Agnum primum occiſum illum aperientem; quo facto quatuor Animalia, & vigintiquatuor Seniores cum innumera Angelorum multitudine, omnique creatura, novo cantico illum glorificarunt, dicentes: *Dignus es, Domine, accipere Librum, & aperire ſignacula eius; quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes: & regnabimus ſuper terram.* Evangelicae Doctrinae Volumen illud ſacratiſſimum in vetuſtis Picturis Triumphalium Arcuum Eccleſiarum, ſeptem Sigillis obſignatum cernitur, ut videre eſt apud Ciampinium Par. I. Tab. XLVIII. pag. 200. Morem hunc vetuſtiſſimum ſervatum conſtat, ſicut in antiquiſſimis Liturgiis, & in Ordine Romano legitur, ut ſignaculo Epiſcopi toties communiretur Codex Evangeliorum, quoties Diaconus ab Epiſcopo reſeratum, eoque in ambone lecto, iterum perferret ad Epiſcopum, qui eum rurſum obſignaret, ac deinde in Sacrario ſumma cum veneratione reconderetur: quem ſacrum ritum adnotavit Ciampinius Vet. Monum. Par. I. Cap. XVI. Blanchinius

nius in Anaſtaſium Tom. II. pag. 14. & ex eo Ioſeph Catelanius Lib. II. Cap. xxviii. de *Codice Sancti Evangelii*. In multis antiquis monumentis ſacris, Evangelii Codex in medio Altaris poſitus cernitur, vel Christi imagine, vel Crvce ornatus: quem quanta veneratione Christi Fideles ab Apoſtolicis temporibus ſint proſequuti, erudite oſtendit Ciampinius loco ſuperius memorato, adlatis Iconibus e vetuſtioribus Eccleſiae Theſauris Tab. xxxvii. Multa addi poſſunt de Evangeliorum Divinorum cultu, quae in Adverſariis meis iam congeſſi, alibi proferenda.

VIII. Antiquitus Evangeliorum divinus, atque intemeratus Textus unico Volumine continebatur, quod pretioſis gemmis ornabatur, vel ſculpturis in ebore, auro, atque argento, & in eo vel Christvs Dominus, & Magiſter expreſſus erat, vel Alma Crvx, de quo nonnulla adnotavi in Epiſtola ad Celeberrimum Ioſephum Blanchinivm, Romani Oratorii Presbyterum, quam pro ſua in me humanitate in publicum proferre voluit. Teſtantur Sancti Patres, & Liturgiarum vetuſtiſſimi Codices Evangelivm referre ipſum Dominum Noſtrum Iesvm Christvm. Hinc in medio Altaris ab ipſis Eccleſiae primordiis conlocatum legimus, pretioſis pulvillis impoſitum, elevatum, exaltatumque, ut a Fidelibus adoraretur; inde delatum, ut a ſingulis oſcularetur; qui eo etiam benedicebantur. Dum accipiebatur e Sacrario, & ad Aram portabatur a Diaconis maxima cum pompa, canente Miſſam Pontifice, faces praecedebant, & thymiamata. In ſupplicationibus una cum Crvce deferebatur Sanctvm Evangelivm; at praecipua pompa geſtabatur in die Dominica Palmarum, ut

ita ſolemnis Iesv Christi Ingreſſus in Hieruſalem ſignificaretur, & ut honor, qui eo die eidem exhibetur, vice eius Sacroſancto Evangelio impenderetur; nam in ferculo ornatiſſimo poſitum geſtabatur, baiulantibus Diaconis ingenti cum gaudio, & exultatione, uti legitur in Ordine Romano xii. penes Celeberrimum Mabillonivm, clarae, & recolendae memoriae Virum pag. 176. Idem fiebat, non ſolum Romae, ſed in aliis etiam Eccleſiis, & Monaſteriis, ut idem Auctor adnotat pag. lxvi. & exemplis oſtendit. In quibusdam vero locis loco Evangelii reponebatur in feretro Sacra Euchariſtia; iſque uſus in Normanniae Monaſteriis olim obtinebat etiam ante Berengarii haereſim. Sicut ad exemplum publicae deductionis Arcae, in qua divinae Legis Tabulae conditae erant, ut habetur Lib. iiI. Regum Cap. 8. & in Epiſtola B. Pauli ad Hebraeos; ita ex vetere Eccleſiae inſtituto Liber Legis Gratiae, Regnum Christi, Lumen Fidelium religioſe deferebatur a Diacono poſt Crvcem in Proceſſionibus Chriſtianis, vel etiam ab Epiſcopo; ut obſervat Vir Praeſtantiſſimus Claudius Andegavenſis Eccleſiae Epiſcopus in egregio Libro *de Proceſſionibus Eccleſiaſticis*; quin etiam ſua aetate apud ſe vigere conſuetudinem adnotat, in celebrioribus Proceſſionibus, & generalibus Civitatis, non tantum Eccleſiam Andegavenſem, ſed & ſingulas Collegiatas, ut propriam Crvcem, ita & proprium Evangelium praeferre. Quanto honore, cultuque proſequuti ſint priſci Fideles Divinum Evangelium, oſtendunt picturae vaſculorum penes Bonarrotium, & Boldettium; nam frequenter Volumina quatuor proponuntur. Sed ut ad id, quod primum expendebam, revertar, Agnvs Dei, frequenter ſpectatur una cum Imagine Christi

Do-

Domini coniunctus, ut paſſim videre eſt in vetuſtiſſimis Coemeteriorum Vrbis picturis, & in Sarcophagis marmoreis Romae Subterraneae, quae libros ipſos aperientibus ſtatim occurrunt. Agnvs Dei caput habet nimbo crugifero ornatum, ut ipſum Redemptorem in Crvce ſubſpenſum deſignet.

VIIII. De hiſce venerandis primitivae Eccleſiae typicis Figuris pertractandum cenſui, ut evincerem hanc primum fuiſſe Eccleſiae Sanctae Dei mentem, ut iisdem Fideles Intelligerent, ſignificari Christvm Dominum pro omnium ſalute in Crvce paſſum, ac mortuum. Profecto nimis impudenter invehitur contra Venerabilem Virum, Hiſtoriae Eccleſiaſticae Parentem celeberrimum Baronivm, Samuel Baſnagius Tomo II. Annal. Politico-Eccleſiaſt. pag. 273. ad ann. Domini ccxxiv. num. 3. ubi vitrea eius argumenta adpellat, quod apertiſſime declaraverit ex vetuſtiſſimis vitreorum Calicum, paterarum, & poculorum picturis, in quibus Boni Pastoris, & Agni Dei Imagines ſpectantur, *Sacrarum Imaginum uſum fuiſſe communi conſenſu Fidelium in Eccleſia antiquitus conſecratum*. Hinc adſerit Baſnagius picturas haſce mere ſymbolicas eſſe factas, vel ornamenti cauſa, adeoque *Sacrarum Imaginum* numero eſſe eiiciendas; quia *neque ſui cauſa, ut ſint venerationi, neque ut Exemplaris ſui vultum reddant, in Eccleſia collocantur*. Quibus argumentis plane futilibus, quantum a veritate diſtet, aperte patet. Rationem ſubiicit plane futiliſſimam: *Eo fine inſtituebantur, ut & decoris aliquid, & virtutis ſpeciem aliquam ingererent in animo*. Sed corruunt eius argumenta nullius momenti, quum non tantum vitreorum

Euchariſticorum Calicum, & poculorum, quibus in Synaxibus, & in Agapibus uſi ſunt Chriſtiani, exempla monſtremus, quae divino plane conſilio licet fragilia, idcirco ſervata ſunt, & frequenter e ſacris Chriſtianorum Coemeteriis eruuntur; verum etiam ad picturas vetuſtiſsimas eorumdem Coemeteriorum, ad ſculptutas quoque, & emblemata Sepulcrorum, quae iam edita ſunt, & in dies magis, magiſque illuſtrantur. Quod adtinet ad myſticas Figuras Pastoris Boni, & Immaculati Agni Dei, (quae quidem etiam myſteria ad mentem Patrum adpellanda ſunt, & clariſsima ſigna, atque immenſae in nos divinae charitatis, ac miſericordiae ſymbola) conſtat eorumdem auctoritate, Tertulliani, Auguſtini, Gregorii Nazianzeni, Paulini, & aliorum, eas non habitas fuiſſe inter mera ornamenta, & ſymbolica virtutum ſigna, ſed revera hiſce ſignificatum Fidelibus, Chriſtum Humani Generis Redemptorem in Ligno Crucis pro noſtra ſalute ſuſpenſum; ut intelligerent his perſpectis, maiorem charitatem neminem eo habuiſſe, qui animam ſuam poſuit pro Ovibus ſuis. Patrum teſtimonia uberrime adferuntur a Clariſsimis Viris Aringhio, Bonarrotio, & Bottario. Vtar dumtaxat Ambroſii ſententia, qui ubi elucidat Pſalm cxiv. *Erravi ſicut* Ovis, *quae periit*; ita inquit: *Denique inventam* Pastor Ovem *humeris imponit ſuis. Agnoſcis utique myſterium, quomodo* Ovis *lapſa reficiatur: quia non poteſt aliter humana conditio lapſa recreari niſi Sacramento Dominicae Paſſionis, & Sanguinis* Iesv Christi, *cuius principium ſuper humerum eius. In illa enim* Crvce *infirmitates noſtras portavit, ut ibi omnium peccata evacuant.* Quamvis Christvs Dominus de ſe dixerit: *Ego ſum Via, Veritas, & Vita, & Oſtium*

ovi-

ovilis, *& Vitis vera*; Apoſtolos vero, ac Diſcipulos *palmites*; tamen adlatis figuris Pastoris Boni, & Agni, nil iucundius, acceptius, & dulcius fuit apud primaevos Chriſtianos, quod etiam memorat Sancta Eccleſia in divino Sacrificio, *Agnum Dei* ter orans, & adorans, eidemque gratias agens in Hymno Angelico: *Domine Deus* Agnvs Dei, *Filius Patris*; & in alio Hymno Euchariſtico: Bone Pastor, *Panis vere*, Iesv *noſtri miſerere*, &c.

X. Ne vero Baſnagii adſeclae iactent nos vitrea tantum adferre monumenta, atque argumenta, ut conſtet Christvm Redemptorem *Boni Paſtoris* effigie expoſitum fuiſſe priſcis Fidelibus, provocare etiam lubet ad pictas imagines eiusdem Boni Pastoris, & Sanctorum, tum in pluribus Cubiculis Romae Subterraneae, tum etiam in vetuſtiſſimo Praetextati Coemeterio, cuius cubicula detecta anno mdccxxxviii. deſcribit Cl. Marangonius in Appendice de Coemeterio SS. Thraſonis, & Saturnini pag. 113. & 114. atque ex numiſmate Domitiani Caeſaris ad loculum ibi adfixo, coniicit plurima SS. Martyrum Corpora, in eius ſaeviſſima perſequutione pro Christo necata, condita in eo fuiſſe. Titulum quoque profert marmoreum Aurelii Fileri pag. 128. in quo caelatus cernitur Bonvs Pastor cum ovicula ad pedes inter duas arbores medius; qui, quod eſt notandum, fiſtulam potius dixerim, quam calicem, dextra praefert; & iuxta eum ſculptum eſt intra lauream coronam gemmis ornatam, ſacroſanctum Christi Monogramma. Sed nunquam manum de tabula tollerem, ſi vellem typicam hanc divinam figuram aliis deſcriptis monumentis comprobare. Pauca haec igitur ſufficiant.

CAPVT VI.

De Sacroſancto MONOGRAMMATE *deſignante* CHRISTVM *Dominum, eiuſque apud priſcos Fideles cultu. Nonnulla etiam de Auguſtiſſimo Nomine* IESV *obſervantur.*

I. QVum ab exordio Eccleſiae, & mox ſequutis aliquot ſeculis, haud obtinuiſſe morem exponendi publicae Fidelium venerationi, & cultui CHRISTVM Dominum in CRVCIS patibulo ſuſpenſum, hactenus probaverim; ſed eius loco obſervaverim propoſitas fuiſſe typicas imagines, & emblemata, quae ipſum adumbrarent, atque ſignificarent, nempe PASTOREM BONVM, AGNVM IMMACVLATVM, & Sacroſanctum EVANGELIORVM Volumen; nunc de Adorabili MONOGRAMMATE, tum CHRISTVM ipſum, tum eius Sanctiſſimum NOMEN, & CRVCEM exprimente, eiuſque apud eosdem primaevos Fideles ſummo cultu dicendum eſt. In compluribus monumentis, in vaſculis, in annulis, in lucernis, in ſepulcris, & in titulis ſepulcralibus veterum Chriſtianorum, in pictis muſivo opere Arcubus Eccleſiarum, in Hierothecis, ita expreſſum frequenter cernitur

I. II. III. IV V.



Conſtat, ut videmus, duabus prioribus litteris Graecis maioribus invicem iunctis, & implexis, quibus integrum Sanctiſſimum Nomen XPICTOC exhibetur; nec tantum eius Nomen, ſed etiam

CRV-

Crvcis ſignum eſt in littera illa X, ita ut Crvx in Christo, & Christvs in Crvce monſtretur, ut obſervat Magnus Baronivs Tom. 11I. ad ann. cccxii. num. 23., & quum frequenter ita quoque expreſſum occurrat, uti ſuperius exhibetur in adlato ſchemate num. IV. manifeſtum eſt cum Sacratiſſimo Nomine Crvcem eius eſſe coniunctam. Idem ſignificat Christvs, ac Vnctvs, & continet nuncupationem regni, & poteſtatis, ut ait Lactantius Lib. iv. de Sap. Capit. 7. Ipſe Christvs Dominus ſe ita adpellat: *Quid vobis videntur de* Christo? *cuius filius eſt?* Et Cap. iv. Act. Apoſt. v. 27. *Convenerunt enim vere in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum* Iesvm, *quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & Populis Iſrael*. Et Cap. x. verſ. 38. *Vnxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute, qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos a Diabolo, qooniam Deus erat in illo*. Tam Sanctum, & Memorabile Nomen Christi conſequuntur Christiani ſtatimac inter Fideles per Baptiſmum numerantur, & ſacro Chriſmate ſunt conſignati. Audiendus Tertullianus de Baptiſmo Cap. 7. *Exinde egreſſi de lavacro perunguimur benedicta unctione de priſtina diſciplina, qua ungui oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant. Ex quo Aron a Moyſe unctus eſt, unde* Christvs, *dicitur a* Chriſmate, *quod eſt* Vnctio, *quae* Domino Nomen *adcommodavit, facta ſpiritalis, quia ſpiritu unctus eſt a Deo Patre, ſicut in Actis, &c.* Sed adverſus Praxeam acrius urget Tertullianus Cap. 38. & oſtendit Christvs Nomen revera eſſe; non autem meram adpellationem, & ſignificationem, ut ipſe contendebat, quum Matthaei Cap. 1. v. 16. manifeſtum ſit: Iesvs, *qui vocatur* Christvs; idemque,

que, & apud reliquos Evangeliſtas frequenter habeatur. Praeclarum vitreae pictae lamellae monumentum adfert Boldettus Lib. 1. Cap. xv. pag. 60. in qua expreſſus eſt Chriſtianus Crucem Domini in fronte ſignatam praeferens, qua non tantum per Baptiſmum *Fidelis*, verum etiam ſacro Chriſmate in Confirmationis Sacramento conſignatus oſtenditur. Ipſi igitur Fideles hoc Sacroſancto Signo, & ipſum Christum Dominum Auctorem vitae, ac Redemptorem, & Fidei ſuſceptae profectionem ſibi repraeſentatam, & expreſſam ante oculos intelligebant, adeoque ſummo cultu illud devenerabantur.

II. Huius venerandi Monogrammatis uſus ex Antiochena Eccleſia in Romanam, ſive Latinam, ut videtur, migravit, ſtatimac Christi Domini ſectatores Chriſtiani a Legislatore ſuo, Vitae, Gratiae, & Salutis Auctore, adpellari voluerunt. Nolo heic ſilentio praeterire, quae de Christo, & de Christianis ipſis obſervat Aringhius Tom. II. Lib. vi. Cap. xxiii. ex Gregorio Nazianzeno Orat. iv. de Theolog., qui ait, *quod dicitur* Unctus *propter divinitatem; ea enim humanitatis* Unctio *eſt*. „ Chriſtiani igitur, quibus ſacrum Christi Nomen „ a myſtica unctione derivatum, animo altius in„ ſederat, & primaevi item Chriſtianae Fidei ſe„ ctatores, qui apud Antiochiam demorabantur, „ Christi Nomine nuncupatos fuiſſe recolebant: „ *Ita ut* (inquit Lucas Act. Cap. xi. verſ. 26.) „ *cognominarentur primum Antiochiae Diſcipuli* „ Christiani; hoc plane Nomen frequentius prae„ ſignare, inſcribere, inſculpere, atque in Coe„ meterialibus locis uſurpare conſueverunt. Chri„ sti quippe Nomine una cum Apoſtolo iugiter

„ inſi-

„ inſigniti, illud Christo canebant: Christi *bonus* „ *odor ſumus Deo* (2. ad Corinth.) id eſt, ut „ erudite Theophylactus ediſſerit: *Quocumque* „ *abierimus, odorem ſpiritualis unguenti circum-* „ *ferimus, cognitiones videlicet Dei, in omni lo-* „ *co hominibus bono ſuffitu adflamus.* „ Cum Aringhio convenit Cl. Bonarrotivs in Praefatione in Vitrea Vaſcula Coemeterialia pag. xii. cui, adlatis aliis obſervationibus, calculum ſuum adiicit eximius Praeſul Bottarivs, & tunc potiſſimum invaluiſſe apud Latinos, quum primum Orientis Eccleſiae Fideles adpellati ſunt Christiani, nempe Christi Cultores, adfirmant. Opinor etiam in Coemeterialibus titulis, in quibus ſculptum eſt hoc ſacrum ☧ Mouogramma, vel ſimpliciter, vel intra lauream coronam, denotari defunctum illum Fidelem eſſe, & Chriſtianorum Communioni adſcriptum; adeoque tum ſacro Baptiſmate tinctum, tum etiam Chriſmate in Sacramento Confirmationis conſignatum, adeoque Christi Nominis cultorem; quam meam coniecturam aliorum iudicio lubens ſubiicio. Quandoque etiam cum ☧, & ipſa Crvx Dominica coniungitur, & alia ſymbola, quae Chriſtianam Religionem, quam idem defunctus Fidelis profeſſus eſt, ut id oſtendant, adiiciuntur.

iiI. Perſpicuum quoque exploratumque ex pluribus vetuſtiſſimis monumentis hoc ſalutare Chriſtianorum Signum multo antiquius eſſe Conſtantini Auguſti aevo, a quo Viri nonnulli ceteroquin docti, ab initio ſuſceptae ab eo Fidei, & Chriſtianae Religionis, putarunt inventum, ac traditum fuiſſe, eiuſque uſum poſt caeleſtes eius viſiones invaluiſſe. Verum eiuſdem divini Thematis propagatorem,

rem, non vero inventorem fuiſſe Conſtantinum, extra omnem dubitandi aleam eſt, ut praeſtantes Scriptores, praeſertim clariſſimae memoriae Praeſul Dominicus Georgius, de eo edito ſingulari Opere, adſirmant; quorum ſententiam, & ipſe lubenter amplector. Caeleſte haec antiquorum Christi Fidelium ſymbolum ab iisdem eruditis Viris *Monogramma* dicitur; at veteres Chriſtiani Signum adpellarunt, quod ex Chriſtiano lapide, eruto ex Coemeterio S. Agnetis, adlato a Cl. Boldettio Par. 1. Lib. 1. Cap. 51. pag. 273. colligi poteſt; nam in eodem lapide, quem Priſco patri Aſellus, & Lea filii poſuerunt, Baſſo, & Ablavio Coss. imperante Conſtentino Magno, anno nimirum aere Chriſt. cccxxxi. Sacrum Monogramma ☧, undique palma, & ramuſculis ornatum, haec verba praecedunt In Signo, quaſi ad idem auguſtiſſimum Christi nomen, atque ad ea verba in caelo viſa a Conſtantino ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ referri poſſint; vel potius ad Fidei profeſſionem, & Signum Dei vivi, quod in divina Apocalypſi Cap. vii. v. 2. & ſeqq. iuſſus eſt Angelus ſcribere, & ſignare in frontibus Servorum Dei; quo ſigno Conſtantinus Auguſtus, & Christi Nomen, & Crucem eius ſibi adorandam, eaque auxiliante, & duce, victorias, & triumphos de hoſtibus referendos intellexit.

iiiI. Venerabile hoc Monogramma, licet exprimat priorem litteram X, tamen potius Cruci adſimilatur eo modo, uti exhibetur in adlato ſuperius iconiſmo num. iiI.; & quandoque etiam ipſam ſanctam Crucem in medio corollae ſculptam complectitur, cuius exemplum apud eundem Boldettum Par. iI. Lib. iI. Cap. iiI. pag. 351. occurrit. Apud eundem eximium Scriptorem in Coeme-

meterialibus titulis adlatis in Par. I. Lib. II. Cap. III. pag. 351. hoc quoque Monogramma, de quo nil ab aliis dictum, conſpicitur, uti repraeſentatum



Implexas duas Latinorum litteras Z refert, & fortaſſe Signvm deſignat; nam pluribus exemplis conſtat veteres pro S, Z ſcripſiſſe, ut *Zmaragdus*, *Zmyma*; & in lapide Chriſtiano effoſſo e Coemeterio Praetextati, quem adfert Cl. Bonarrotivs in Praefat. ad Vaſcula Vitrea Coemeter. pag. x. legitur Zinnvm Loci, pro Signvm Loci. Probabilius tamen crediderim potius hoc ſymplegma litterarum ZZ indicare Auguſtiſſimum Iesv Nomen, quod ita ſcriptum Zesvs, legitur in pictura Chriſtiani Calicis, ſeu poculi penes Bonarrotium Tab. vii. num. 1. & Tab. xvii. num. 2. ubi Christvs Lazarum iam mortuum vitae reſtituit, vel medius ſtat inter Iulium, & Electum, & eorum capiti manum imponit: item apud Boldettium Par. 1. Lib. 1. Cap. 39. in adlata Tabula num. 33. & ſub imagine Christi Domini, qui ſtat in medio duorum Sanctorum, nempe Ivlii, & Casti, expanſis brachiis, & manibus, orantium ritu; & in altera pariter poculi pictura, in qua idem Christvs cernitur panes multiplicans, expreſſis ſeptem caniſtris, cum his per ambitum litteris: Zesvs Cristvs. Exſtant etiam huius monogrammatis exempla alia penes Cl. Marangonium pag. 93. in Appendice de Coemeterio SS. Thraſonis, & Saturnini, de quo, ut dicebam, ſiluiſſe miror hos celebres Scripto-

res.

res. Facile etiam duplex Z implexa in veterum Chriſtianorum ſepulcralibus titulis, frequentem illam adclamationem deſignat, quae etiam viventibus fiebat in ſacris Agapibus, & in multis pictis vitreis vaſculis legitur, e Graeco ſermone deſumta. Litteris tamen Latinis expreſſa, nempe ZESES, quae ſignificat VIVAS. Multus eſſem, ſi vellem heic adferre tum eorumdem poculorum ſuaviſſimas adclamationes, tum etiam illas, quae in editis Coemeterialibus titulis habentur. Integram Inſcriptionem adferre lubet ab eodem Cl. Marangonio editam pag. 80. quae ita ſe habet:

A V G V S T V S I N
B O N O . R E F R I
G E R E S D V L
C I S .



Continet etiam idem Monogramma Crucem Domini Noſtri; vel quia ita *Fidelis*, Cruce ſignatus in Baptiſmate, & Chriſmate, defunctus ille declarabatur. Si quis vero quatuor litteras V implexas velit, facile, ni fallor, interpretari poterunt, Vivas; vel potius, ſi Christo referendae ſint, indicare poterunt Virtus. Via. Veritas. Vita, qualem ſe dixit idem Dominus noſter. Idem adfertur ſignum pag. 112. ſed hiſce cum litteris in ſingulis metopis T O I A, quae referre videntur nomen defunctae feminae Victoriae. Aliorum iudicium, nihil de hoc peculiari Monogrammate definiens, exſpecto.

V. Conſuevere antiqui Chriſtiani Monogrammati addere litteras haſce ex alphabeto Graeco deſumptas

ptas, nempe primam, A, & poſtremam ω, quae ad CHRISTVM ipſum referuntur, qui in divina Apocalypſi Cap. I. v. 17. ait: *Ego ſum primus, & noviſſimus*; & Cap. XX. v. 13. & XXI. v. 6. *Ego ſum Alpha, & Omega*; & aliqui ſacri Interpretes his litteris eiusdem SALVATORIS divinitatem, & humanitatem deſignari exiſtimant. Eidem iunctae aliae litterae obſervantur in fictili lucerna penes Boldettium, quae nunc adſervatur Romae in Muſeo Victorio, nempe C, & V, quibus indicatur CHRISTVS IESVS, ut obſervat idem Boldettus, & egregius Eques Franciſcus VICTORIVS *de Monogrammate SS. Nominis* IESV pag. 10. vel etiam, ſi videtur, CHRISTVS VINCIT; quapropter circa Monogramma non raro occurrunt hinc inde palmae, quae CHRISTVM Dominum noſtrum victorem Mortis, & Inferni declarare cenſentur. Frequenter etiam occurrit venerabile hoc veterum Chriſtianorum Signum circumdatum laurea corona, vel oleaginea, quae eidem CHRISTO Triumphatori, & Debellatori Diaboli rite conveniunt: quae exempla habentur apud laudatum Boldettium, & in vitreis lamellis vaſculorum penes BONARROTIVM. In medio laureae coronae adpoſita eſt gemma inſignis magnitudinis: ex quibus monumentis coniicimus a primis Fidelibus coronari ſolitum; nam interdum etiam laureae coronae ſupra adorabile Monogramma ſuſpenſae viſuntur: & probabile etiam eſt coronis ornatum, vel cum foliis e bracteis aureis, vel argenteis compactis in modum, ut tanti Nominis decus laurearum gloria, & dignitate declararent, coronari conſueviſſe. Huiuſce cultus exempla identidem habentur apud Boldettum, & Bonarrotium, ac praeſertim perſpicuo emblemate in ſacro Coemeteriali vaſculo picto Ta-

bu-

bula xx. num. 2. In Tab. vero viii. num. 1. uti etiam apud Boldettum Par. 1. Lib. 1. Cap. 39. num. 38. mirabile Christi Nomen compendiarie ſcriptum eſt in quadrata Tabula, medium inter aſtra duo, ſive ſtellas; quae quadrata figura fortaſſis deſignat Civitatem novam Ieruſalem in quadro poſitam; aſtra vero Iuſtorum animas Christum ſequentes, quae in caeleſti Regno fulgebunt ſicut Sol, & tanquam Stellae in Firmamento, uti de his ſcriptum legitur in beata Ioannis Apocalypſi. Sed de hac ipſa Tabula alia erunt in ſequenti Capite adnotanda. Animadverſione dignum eſt alterum vitreum vaſculum apud Boldettum Lib. 1. Cap. xl. Tab. iiI. num. 3. pag. 216. in in quo picta eſt figura quaedam, animam Iuſti, ni fallor, referens, inter complura aſtra, & ignitas linguas. Frequenter etiam cum eodem Monogrammate ſociantur Sancti Apoſtoli, & Martyres, praeſertim Beatiſſimi Principes, per quos Chriſtiana Religio ſumſit exordium, Petrus, & Paulus, uti teſtantur vetuſtiſſimae Chriſtianorum tum picturae, tum ſculpturae, & quandoque etiam iuxta illud adſtare ſolet Dominus Noſter Iesvs Christvs, ut exhibet inſigne monumentum ex aere, quod nunc primum in lucem profero in ſequenti Tabula num. 1. e meo Muſeo depromtum. Praeterea circa idem Auguſtiſſimum Monogramma feſtivae, ac iucundae Chriſtianorum adclamationes leguntur; nempe: Spes Dei. Vivas in Deo. Bibas in Christo. Vivas in Deo Feliciter, quae apud Du-Cangium de Num. Conſtant. pag. 28. & apud Boldettium, & Bonarrotium, non ſine maxima voluptate obſervari poſſunt.

VI. Illud etiam in editis Sepulcralibus titulis vete-

veterum Chriſtianorum eſſet adnotandum, quod ☧ ſacroſanctum Monogramma ſaepenumero Nomen integrum exprimit Christo, vel Christi, & quandoque iſtud etiam exprimitur, ut videre eſt apud eumdem Canonicum Marangonium in praelaudata Appendice pag. 69., ubi integra linea legitur, in principio Christi *Fidelis*:

☧ PRIMA VIVIS IN GLORIA DEI ET IN PACE DOMINI NOSTRI ☧ (nempe Christi)

quod etiam alibi adiunctis A & ω, indicare videtur: Christvs *Principium*, *&* *Finis*, bis repetitum.

Et pag. 105.

VALE MICHI KARA IN PACE
CVM SPIRITA XANTA VALE IN ☧

Nempe:

Vale mihi cara in Pace
Cum Spiritu Sancto vale in Christo.

Ita etiam frequenter inter ſacras adclamationes defunctis Christi Fidelibus factas legimus apud eumdem: Sabine Vivas in ☧ pagg. 85. & 98.

B I A ☧ ω T A

Hoc eſt:

Vita in Christo *Principio & Fine*.

Digitized by Google

& expreſſe pag. 104. IN XPO SANCTO. Frequenter, non ſolum in principio, & fine Coemeterialium Titulorum, verum etiam interpunctionis loco ſculptum in iisdem titulis occurrit. ☧ Sed idem praeclarus Marangonius p. 126. hunc adfert lapidem, quem Monogrammate conſignatum cernimus Gratiano Conſule cum Conlega Flavio Dagalaipho anno Chr. 366. vel Equitio an. Chr. 374.

: : : : F I L I A E
: : : : I N P A C E ☧
: : : : G R A T I A N O E T
: : : : C O S . V . A . X X I .

Apud Du-Cangium in Familiis Auguſtis Byzantinis, ſervata maiorum conſuetudine, ſpectatur divinum Monogramma in numis quoque Laſcaricae Familiae pag. 218. quem ritum ſignandi venerabile Monogramma in monumentis, praeſertim regnante Conſtantino, ac deinceps etiam in numis, non paucis ſeculis duraſſe conſpicimus.

VII. Quod vero ab ipſo Eccleſiae Dei exordio apud Chriſtianos obtinuerit hoc Admirabile Signvm, (quod etiam & publice quidem teſtatus eſt Conſtantinus Auguſtus in epigraphe, quam Romae in baſi ſtatuae imaginem ſuam exprimentis, & tenentis haſtile ad formam Crvcis, incidendum mandavit Hoc Salvtari Signo &c.) non ideo tamen inferendum, quod ipſos latuerit Ineffabile Nomen Iesv, quod eſt ſuper omne nomen; quo praedicato ab Apoſtolis, poſtquam Spiritu Sancto repleti ſunt, multa prodigia evenere, quae in Apo-

ſto-

ſtolorum Actis narrantur. In prima concione, quam Petrus ſtans cum undecim habuit ad Iudaeos, & ad univerſos Hieruſalem habitantes, primus omnium edixit: *Et erit: omnis quicumque invocaverit* Nomen Domini, *ſalvus erit. Viri Iſraelitae audite verba haec*: Iesvm Nazarenvm, *virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & ſignis, quae fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut & vos ſcitis: Hunc definito conſilio, & praeſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemiſtis &c.* Et paullo poſt: *Hunc* Iesvm *reſuſcitavit Deus, cuius omnes nos teſtes ſumus*. Deinde orationem ſuam admirabilem, Spiritu Sancti virtute, & ſapientia plenam, concludens, ita inquit: *Certiſſime ſciat ergo omnis Domus Iſrael, quia &* Dominvm *eum, &* Christvm *fecit* Devs, *hunc* Iesvm, *quem vos crucifixiſtis*. Non deſunt exempla Venerandi Nominis Iesv ſculpti in monumentis Chriſtianorum apud Fabrettvm Inſcr. Dom. Cap. iv. pag. 329. num. 485. Bonarrotivm in Vaſa vitr. Coemeter. pag. 17. Boldettvm Lib. 1. Cap. xv. pag. 58. Eq. Victorivm in Comment. de Nummo aereo Par. iI. Cap. xvii. pag. 90. & Marangonivm in Append. de Coemet. Thraſ. quod pag. 115. ita ΙΗ. & pag. 76. hiſce initialibus litteris expreſſum occurrit:

I X Θ Υ C N

Hae Notae Latinae redditae, haec ſignificant:

ΙΗCΟΥC	IESVS
ΧΡΙCΤΟC	CHRISTVS
ΘΕΟΥ	DEI
ΥΙΟC	FILIVS
CΩΤΗΡ	SALVATOR
ΝΙΚΑ	VINCIT

 In-

Interdum poſtrema littera Graeca N ſcripta non eſt, ut in Gemma Chriſtiana adlata ibidem a Cl. Eq. Victorio pag. 92. & apud Marangonium, Iisdem litteris una pariter iunctis, compoſitiſque. vox Graeca Ἰχθὺς conficitur, Latine *Piſcis*, De his Siglis, ſive Notis, ac de ipſo ſanctiſſimo Monogrammate conſulendus quoque eſt Vir doctrina, & pietate praeclarus, Eduardus Corsinius, in Piſana Academia Profeſſor, a quo egregia etiam priſcorum Fidelium monimenta illuſtrantur, & multa ex his nondum ab aliis obſervata in lucem proferuntur. Sed de ſymbolico Piſce ſacro Diſſertationem ſe parare ſatis luculentam ad me nunc ſcribit Vir Clariſſimus P. D. Anſelmus Costadonius, Monachus Camaldulenſis, Litterato Orbi iam valde notus. Piſcis Christi typus, quot myſteria contineat, ex antiquis Patribus, Optato Milevitano, Hieronymo, Auguſtino, Proſpero, Paulino, Beda, aliiſque, luculenter exponit Aringhius Rom. Subterr. Tom. II. Lib. v. Cap. xx. Iidem quoque Chriſtiani frequenter ſculpti viſuntur piſcium forma, tum in Gemmis ſacris, tum in Coemeterialibus Sepulcris, una cum Cruce, vel cum Anchora, vel etiam Coronam ore praeferentes, ut videre eſt apud eundem Aringhium ibidem Lib. vi. Cap. i. pag. 678. Cum navi Eccleſiam referente, & Christo ſuper undas maris gradiente, & Petro dexteram porrigente, ne fluctibus demergatur, & cum piſciculo ex aqui caput extollente, ſculptum eſt Sacratiſſimum Iesu Nomen, hoc modo, IHC, in annulari onyche primorum Christi Fidelium, quem Commentario illuſtravit Hieronymus Aleander iunior, quem poſt Aringhium Rom. Subterr. Tom. II. Lib. v. Cap. ix. pag. 475. iterum produxerunt, atque illuſtrarunt eximius Praeſul Bottarius Tom. II. pag. 156. & egregius

gius Franciſcus Eques Victorius de Monogrammate SS. Nominis Iesv p. 57. Perinſigne quoque Cameum anulare antiquum veterum Chriſtianorum, ex albo, & nigro, e ditiſſimo Muſeo ſuo idem protulit, & illuſtravit in Comment. Nummi aerei veterum Chriſtianor. Par. II. Cap. xix. p. 105. in quo anchora Crvcem efformat, & ſub tranſverſo haſtili pendent duo piſces. Superne ſcriptum eſt: IHCOYC, infra vero: XPEICTOYC, hoc eſt IESVS CHRISTVS. Vna cum Monogrammate ☧, & Anchora ita IH vel IH̄, vel ISC ſculptum cernitur Admirabile Nomen Iesv in Chriſtianis Epitaphiis, & Monumentis adlatis ab eodem Victorio pagg. 9. 10. & 11. in praelaudata ſua Diſſertatione nuper edita, magnoque plauſu ab Eruditis ſubſcepta, de vetuſtate, & forma Monogrammatis Sanctiſſimi Nominis Iesv; de quo nil dicendum ſupereſt. Silentio tamen haud praetereundum eſt veterum Chriſtianorum monumentum, iam a Cl. Bonarrotio in Obſerv. ad Numiſmata Max. Moduli pag. 395. editum, nempe anaglyphum ex ebore, in quo ſculpta navis; intra eam vero tres piſcatores, quorum unus trahit rete cum magno piſce: in qua navi ita ſcriptum eſt SS. Nomen, Iesvs, nempe IHCVC. Adcedunt Numiſmata Auguſtorum Chriſtianorum apud Du-Cangium, & Bandurium, in quibus, quum caeleſte Monogramma ita etiam ſculptum occurrat, & non raro etiam in editis Se-



pulchris, & Titulis veterum Chriſtianorum, puto non ſolum Christi Nomen, & Crvcem referre; ve-

rum etiam haſta illa in medio poſita, Crucem, & ipſum Nomen Iesu deſignari. Sed priſci Fideles ☧ ſalutare illud ſignum, quod primum receptum eſt, quod a Prophetis iam diu ante praenuntiatum, Christum referret, utpote etiam Gentibus vel probatum, vel notum (nam Magis quaerentibus natum Dominum, Herodes a Principibus Sacerdotum, & a Scribis proprie ſciſcitatur Christus, *ubi naſceretur*: & Pilatus: *quid igitur faciam de* Iesu, *qui dicitur* Christus?) frequentius expreſſerunt in ſuis monumentis, ac ſumma religione, & cultu devenerati ſunt.

CAPUT VII.

De Elevatione, & Exaltatione glorioſi Monogrammatis Christi *apud primitivos Chriſtianos*.

I. De Admirabili Christi Domini Noſtri Monogrammate, ſeu Nomine, multa, ut ſupra vidimus, egregie, ac luculenter ab Antiquitatum ſacrarum Interpretibus obſervata ſunt, ac depromta; de eo vero peculiari, laudabilique priſcorum Fidelium in ſublimi, atque honorifico loco illud ipſum erigendi, ſtatuendi, atque exaltandi ritu, a multis nihil, a Praeſtantiſſimo vero Senatore Bonarrotio, quod ad alias reconditae eruditionis ſacrae obſervationes properaret, perpauca ſane depromta ſunt pag. 57. & 92. atque etiam ſummis digitis indicata. Iamdiu mihi in mentem venerat praecipua Diſſertatione de eo ritu fuſius diſſerere; quod iam indicavi V. Cl. Ioanni Dominico Bertolio, Canonico Aquileienſi, qui inſigne monumentum Muſei ſui ex aere, clypeum nempe,

ſeu



Pictura Vitrei Calicis Veterum Christianorum

ſeu diſcum gemmatum cum CHRISTI Monogrammate, erudita illuſtravit Diſſertatione, edita num. VII. inter Acta, & Monumenta SOCIETATIS COLVMBARIAE FLORENTINAE, & mihi inſcripta; ſed nunc, quum locum heic valde opportunum videam, nonnulla ex adnotatis delibanda eſſe cenſui pro ingenii mei tenuitate, ne vagando, ab eo, quod mihi primum expendendum propoſueram, longius diſcedam.

II. Permultis exemplis trium, vel quatuor ſeculorum ab ipſis Eccleſiae Dei primordiis, & quidem genuinis, atque indubitate fidei, conſtat, veteres Chriſtianos tanta, ac tam mira pietate, & devotione coluiſſe adorabile hoc Fidei, & Salutis noſtrae SIGNVM, ut ſublimioribus in locis ſtatuere, atque erigere ſtuduerint. Primum monumentum ex aere vetuſtiſſimum, & nunquam ante editum, quod nunc in lucem prodit, exhibeo in ſubiecta Tabula num. I. depromptum e meo Muſeo. Cernitur in clypeo ſculptum venerabile ☧ CHRISTI Nomen, adſcriptis hinc inde Graecis Litteris A, & ω. Quum frequentiſſime una cum Monogrammate occurrant hae litterae, venerationis, & maieſtatis plene, perlubet adnotare ex Libello Orationum Gothico-Hiſpano, edito a Celeberrimo Viro, mihi amiciſſimo, Ioſepho BLANCHINIO, Presbytero Congregationis Oratorii Romani, quod prima Oratio canenda VIII. Idus Ianuarias in die Adparitionis Domini ad Veſperum, ita ſe habet pag. 47. A, & Ω *initium, & finis, Deus, & Homo, infinitus, & praeſinitus, &c. miſerere nobis, &c.* Sequitur mox Benedictio, his verbis: *Benedicat vobis* A, & Ω, *cognominatus, Omnipotentis Dei Patris Vnigenitus Filius: qui eſt Initium, & Finis, ipſe vos ſecum victores* ADTOLLAT *temporibus*

infinitis, atque ereptos a malis, ita inluſtret lumine claritatis, ut vos, & gloriae praemiis, & donis ditet aeternitatis. Sed illud obſervatione dignum, quod clypeus ille in ſublime erectus, & adfixus, quoddam, ut ita dicam, oſtenſorium in modum coronae, columellae impoſitum referre videtur, pendentibus hinc inde lemniſcis. Circa imam partem adſurgit anſula, e qua catenulas inectas crediderim, quibus ſuſpendi poſſet in ſacrorum Coemeteriorum uſum cum Lucerna. Frequenter occurrit benedictum Christi Monogramma in ſacris Lucernis antiquorum Chriſtianorum vel penſilibus, vel ſtatariis expreſſum, vel in clypeis, vel intra coronas, & gemmas ſuper ipſas poſitum; ſed hoc emblema plane eſt inſigne, ac ſingulare, quod quidem Lucernae ſacrae aereae penſili, ut iam notavimus, ſuperpoſitum fuiſſe non ambigimus.

11I. In laeva parte Monogrammatis eminentiore in loco ſpectatur iuvenili aetate ſculptus Iesvs Christvs Dominus noſter, tunica, & pallio amictus, qui dextra, concionantium more protenſa, eloqui videtur; ſiniſtra divinum volumen gerit. In dextra parte adeſt B. Paulus Gentium Doctor, ſiniſtra volumen praeferens; dextra vero intento digito indicat auguſtiſſimum Christi Nomen, quod ubique Iudaeis, & Gentibus praedicavit. Quanti ſit faciendum hoc tam eximium veterum Chriſtianorum monumentum, vitreorum vaſculorum picturis plane coaevum, nemo eſt, qui non videat: in quo, quod praecipue eſt animadvertendum, Pauli effigies tam affabre ſculpta eſt, ut ipſum, qualem fuiſſe capite recalvaſtro, naſo aquilo, ac promiſſiore barba, qua a B. Petro differt, nobis deſcribunt ſynchroni Scriptores, in hoc archety-

po

po mirifice ad veri ſimilitudinem expreſſum cognoſcamus.

IV. Aptiſſime vero una cum Christo Domino, & cum eius diviniſſimo Nomine coniunctus eſt Beatiſſimus Paulus; nam de eo ex perſequutore, minas, & caedes ſpirante in Diſcipulos Christi, iam iam in Apoſtolum confecrando, Christvs Dominus ita adloquutus eſt Ananiam, ut legitur in Act. Apoſt. Cap. ix. ver. 15. *Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet* Nomen *meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro* Nomine *meo pati*. Cum Petrus, tum Paulus ſummi, atque admirabiles Nominis Christi Praecones fuere, ut divina oracula teſtantur; nam Petrus ipſa Pentecoſtes die, in prima, quam habuit concione, Spiritu Sancto plenus, pronuntiavit Act. Apoſtol. Cap. II. v. 21. *Et erit: omnis, qui invocaverit* Nomen Domini *ſalvus erit*. In altera vero, quae memoratur ibidem Cap. iv. v. 8. & ſeqq. habita in Hieruſalem coram Anna Principe Sacerdotum, & Caipha, & Ioanne, & Alexandro, & quotquot erant de genere Sacerdotali, pariter repletus Spiritu Sancto, pronunciavit: *Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt a vobis aedificantibus, qui factus eſt in caput anguli: & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud* Nomen *eſt ſub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Eadem conſtantia, animique ardore Paulus quoque Spiritu Sancto repletus ad Romanos Cap. x. v. 12. & 13. edixit: *Non eſt diſtinctio Iudaei, & Graeci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit* Nomen Domini *ſalvus erit*. Et ad Philip-


lippenſes Cap. II. v. 8. & ſeqq. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem* Crucis. *Propter quod & Deus* Exaltavit *illum, & donavit illi* Nomen, *quod eſt ſuper omne Nomen: ut in* Nomine Iesu *omne genu flectatur, caeleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia* Dominus Iesus Christus *in gloria eſt Dei Patris.*

V. Quum igitur primitivi Chriſtiani & ſcirent, & crederent, praedicante Petro & Paulo, donatum fuiſſe Christo a Deo Exaltato Nomen, quod eſt ſuper omne nomen, illud ipſum exaltandum divinisque honoribus adorandum omni ſtudio curarunt. Petrus quoque id ipſum ante Principem Sacerdotum, nec minas, nec carcerem, nec mortem expaveſcens, pronunciavit, ut legitur Act. Apoſtol. Cap. v. ver. 30. & 31. *Deus Patrum noſtrorum ſuſcitavit* Iesum, *quem vos interemiſtis, ſuſpendentes in Ligno. Hunc Principem, & Salvatorem Deus* Exaltavit Dextera sua, *ad dandam poenitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccatorum.* Praeter adlatum monumentum, alterum num. 2. in eadem Tabula exponere volui, deſumtum ex pictura in ima planitie vitrei Calicis miniſterialis, quam immortalis Senator Bonarrotius evulgavit Obſervat. in Vitrea Vaſcula Tab. xiv. num. 2. Spectatur Sacroſanctum Christi Nomen columellae impoſitum, adeoque ſublimi in loco ſtatutum exaltatumque, ut clarius omnium oculis adpareret, & coleretur. Credibile eſt oblongam haſtam, quae *P* conficit in ima parte in acumen deſiiſſe, ut in columnis defigi poſſet. Id probari poteſt alio exemplo ſatis perſpicuo, ex pictura nempe alterius Calicis vitrei miniſtralis, adlata ab eodem Bo-

Bonarrotio num. 2. in Tab. xv. nam in ea ſacri Monogrammatis prior littera X minor eſt; altera vero P maior; adeo ut tanta haſtae magnitudo declaret in ſublimi loco, & valde honorifico, ac conſpicuo illud ſtatui, ac defigi conſueviſſe; e quo ritu illum, qui obtinuit in ſtatuenda Crvce, quae inde *Stationalis* dicta eſt, de qua luculenter diſſerit Cl. Ciampinius Par. II. Monum. veter. Cap. vi. originem duxiſſe crediderim. Huc quoque pertinet omni laude digna vetuſtiſſima Eccleſiae conſuetudo ſtatuendi ſuper ſublimes columnas, vel iuxta aedes ſacras, vel frequentioribus civitatum locis, atque etiam alibi iuxta moenia, & portas civitatis, Vivificam Domini Noſtri Crvcem, cuius praeclara exempla adhuc Florentiae perennant, nempe in Platea Baptiſterii Florentini, & memorabili in loco, qui *ad Trivium* dicitur, de quo alibi nonnulla adnotavi. In hac vitrei Calicis ſacri pictura medium poſitum eſt Sanctvm Monogramma, quod Christi, atque Venerandae Crvcis, & Sacramenti Paſſionis eius myſtica Imago eſt, inter Apoſtolos Petrum, & Paulum, qui in aliis quoque picturis iuvenili effigie expreſſi conſpiciuntur; & ne de eorum Imaginibus dubitemus, eorumdem nomina pariter aureis litteris ſcripta ſunt, a dextris Pavlvs, a ſiniſtris Petrvs; ut videre eſt apud eundem Bonarrotium in praenotata Tab. xv. num. 2.

VI. Alterum perinſigne exemplum Exaltationis Diviniſſimi Iesv Christi Monogrammatis apud primaevos Fideles, exſtat apud eundem Celeberrimum Bonarrotium Tab. viii. num. 1. ex pictura pariter ſacri vitrei Calicis miniſterialis, in quo Christi Domini exhibetur miraculum, qui multiplica-

plicatis panibus immenſum turbarum numerum in deſerto ſatiavit; quod indicant apertiſſime fragmentorum ſeptem cophini, qui ſuperfuere, & ibidem repraeſentantur; hiſque indicatum Euchariſtiae Sacramentum putat idem Cl. Bonarrotius. Monogramma Christi Admirabile ſublimi in loco adpenſum in eo Calice cernitur, medium inter duo ſidera, hoc modo:



Idem Bonarrotius obſervat pictum eſſe in quadrata Tabula. Illud etiam praeterea obſervandum moneo, quod ipſum fugit oculatiſſimum Scriptorem, in utroque eiusdem Tabulae latere, adnexos eſſe duos anulos, ſive volutas, veluti catenulas, & ſi mavis etiam, dicam anſulas, quae manifeſte declarant ſculptum, pictumque in tabulis, vel in clypeis, vel intra pretioſas coronas Sacroſanctum Chrsti Monogramma in Coemeteriis in ſacris Synaxibus adtolli, & ſuſpendi conſueviſſe. Huic picturae vetuſtiſſimae apud Bonarrotium, aliam fere ſimilem adfert Boldettius Par. 1. Lib. 1. Cap. 39. Tab. ix. num. 38. cum eodem emblemate, in qua eadem ſacra Tabula in ſublimi poſita, & quidem utrimque anſata, exhibetur, in qua Diviniſſimum Christi Nomen * ☧ * ita pariter inter duas ſtellas pictum eſt. Perſpicuum igitur eſt, quanta devotione, & reverentia, cultuque

hoc

hoc ſalutare Signvm ab ipſis Eccleſiae cunabulis divinis honoribus fuerit conſecratum.

VII. Quartum exemplum, ut hanc apud primaevos Chriſtianos uſitatam caeleſtis Monogrammatis, ſive Christi Nominis ſublimationem, oſtenſionem, & exaltationem evidenter oſtendam, mihi ſubpeditat eximia pictura vitrei praegrandis ſacri miniſterialis Calicis inventi in Coemeterio Calliſti, adlata a Cl. Boldettio Par. 1. de Coemeteriis Vrbis Lib. 1. Cap. 39. quam adfert in Tab. 111. num. 2. p. 192. Hinc inde Apoſtoli picti ſunt, magni Enarratores gloriae ineffabilis Nominis Christi, Petrvs a dextris; a ſiniſtris vero, ut in ea ſcriptum eſt, Savlvs, qui idem eſt ac Pavlvs: in medio vero Monogramma in diſco ſive clypeo expreſſum, impoſitum cernitur trunco rudis arboris, quae oblique adſurgit, & in ſummo capitulum efformat, ut columnam referat; quae quidem altior eſt, & cum ſuperpoſito Monogrammate figuras ipſas Apoſtolorum excedit. Perſpicue picturam ipſam adſpicientibus adparet, non columnam, ſed arboris truncum intortum, & nodis refertum, in ea repraeſentatum eſſe. Id adfirmo, quia Cl. Boldettius putat columnam illam deſignare ipſos Beatos Apoſtolos, utpote *Columnas Eccleſiae:* quo elogio eos celebrat Io. Chryſoſtomus: vel quia ipſi, ut ait, ad columnam ligati, verbera paſſi ſunt pro Christo. Sed profecto veroſimilius mihi videtur indicari hoc emblemate Exaltationem Sanctiſſimi Nominis Christi, quam iidem Divini Praecones ubique praedicarunt, & omnibus Fidelibus ſalutare hoc Signum invocandum, geſtandum, & ubique adorandum propoſuerunt. Nec vacat myſterio, quod Monogramma impoſitum ſit praealto arboris trunco,

eo, qui Crucem refert, & Admirabile Christi Nomen; nam refert etiam eiusdem Redemptoris tropaeum, atque ei debitam triumphalem coronam, ut canit Eccleſia in Hymno:

Pange lingua glorioſi
Lauream certaminis,
Et ſuper Crvcis Trophaeo
Dic Trivmphvm *nobilem,*
Qualiter Redemptor Orbis
Immolatus vicerit.

Romani Duces, & Imperatores myſteria Crvcis ignorantes, tropaea e trunco arboris, cum tranſverſo tigillo, in modum Crucis efformarunt, cui relata ex hoſtibus opima ſpolia adpendere, & coronas tropaeis imponere conſueverunt. Idipſum Ethnicis Tertullianus patefecit, Apologet. Cap. vi *Sed & Victorias adoratis, quum in tropaeis cruces inteſtina ſint tropaeorum*. Id etiam ex antiquis ſculptis monumentis, nempe ex Nummis, & Gemmis colligitur, & ex Plutarcho, ubi de Romulo, qui Acronem Regem bello devicit, haec memorat: *Quercum excidit proceram, & tropaei more formavit, ſingulaque Acronis arma ordine circumduxit: ipſe vero veſte ſuccinctus, caput comatum laurea coronavit*. Christvs Dominus fortis, & potens in proelio, hoſtem humani generis immaniſſimum vicit, & eo fortior ſuperveniens, univerſa eius arma abſtulit, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuit, uti ipſe de ſe dixit Lucae Cap. xi. v. 22. Quamvis Iesvs ad pugnandum pro ſe innumeras Angelorum legiones habere poſſet, ſi voluiſſet; tamen ſola Crvce voluit Diabo-

lum

lum vincere, ut obſervat Tertullianus adv. Marcion. Lib. iv. *Nam cum ultimo hoſte morte praeliatus, per* Tropaevm Crvcis *triumphavit*. Ceterum ex hac pictura tanti pretii, & auctoritatis, clarius evincitur Crvcem, in qua adfixus eſt Redemptor noſter amantiſſimus, fuiſſe e quercu, non vero e quatuor lignis compoſitam, quod multis eruditis argumentis probat eximius Ciacconivs Cap. xxx. de Signis SS. Crvcis pag. 92. Id ipſum exaltavit & Conſtantinus Auguſtus, teſte Euſebio in eius Vita Lib. i. Cap. xxv. ubi Labaro eius deſcripto, haec ſubdit: In Fastigio *ipſius operis corona adfixa lapidibus pretioſis, & auro polite circumtexta. In ea ſalutaris adpellationis Nota inſcripta, duobus ſolum expreſſa elementis, ideſt, duabus primis litteris* Nominis Christi: *erat enim littera* P *in medio litterae* X, *mire, & ſubtiliter intexta, quae totum* Christi Nomen *perſpicue ſignificavit*.

VIII. Coronatum hoc adorabile Signvm cernimus paſſim in ſacris Chriſtianorum monumentis, in ſepulcralibus titulis, in ſculpturis, atque etiam in picturis, ut videre eſt apud Bonarrotivm in Tab. xv. num. 2. Tab. xx. num. 2. apud Boldettvm Lib. i. Cap. 39. Tab. iv. num. 8. ubi e corona vittae, ſive lemniſci dependent. Nil dico de anularibus gemmis, vel pro tenuioribus Chriſtianis de anulis ipſis aereis, in quibus ſculptum idem cernitur; ☧ nec ſolitarium quidem, verum inter A, & ω; vel inter palmas, vel cum columbis, cum ſtellis, & ramuſculis, & aliis venerandis priſcae Eccleſiae ſymbolis. Cernitur etiam in numis Imperatorum Chriſtianorum, throno, & gradibus impoſitum; & Iuſtinus in pectore illud idem geſtat, ut videre

eſt

Digitized by Google

eſt apud Du-Cangium pag. 96. Alii Imperatores impoſitum haſtae, ſeu ſceptro illud dextra praeferunt, vel etiam utraque manu hinc Monogramma, inde globum cum Crvce geſtant, atque exaltatum oſtentant, ut paſſim videre eſt in editis numis penes Du-Cangium de Familiis Byzantinis, & apud Bandurium. Coronas pretioſis gemmis ac lapillis diſtinctas, futiles fuiſſe arguimus, foliaque vel ex auro, vel ex argento fuiſſe compactas intelligimus ex plurimis iam editis ſchematis, quae nunquam finem invenirem, ſi enumerare vellem. Ad illud tantum Lectorem ablegabo, quod adfert Baronivs Annal. Tom. iiI. ad ann. cccli. num. i. & laudat, & adfert quoque Aringhivs Tom. iI. Rom. Subterr. Lib. vi. Cap. 49. pag. 672.

VIIII. Sufficere profecto poſſunt haec monumenta, ut eorum auctoritate perſpicue conſtet, priſcos Fideles exaltare conſueviſſe, & in ſublime erigere Auguſtiſſimum Christi Nomen, quod refert toto terrarum orbe cultum, atque uſurpatum venerabile Monogramma. At alia ſuperſunt inſignia monumenta, quae ritum hunc elucidant apertiſſime, uti cernere eſt in Triumphali Arcu, muſivo opere picto, Baſilicae Liberianae, ſive S. Mariae Maioris, edito a Ciampinio Veter. Monum. Par. I. Tab. iI. pag. 195. Idem Nomen ineffabile ſcriptum fuiſſe conſtat in ſummo ſacrarum Aedium epiſtylio, & in exteriore earumdem fronte, atque in cubiculis ipſis Coemeteriorum Vrbis, & in Ianuis Eccleſiarum, ut Chriſtiani Domum Orationis ingredientes, vel etiam ſacras Cryptas, & Coemeteria adeuntes, oculos ad Deum levantes, illud adſpicerent, & devotiſſime ſalutarent; cuius conſuetudinis exemplum praebet Cl. Marangonius in pictu-

pictura Coemeterii Calliſti Via Appia pag. 41. inter Acta S. Victorini Epiſcopi Amiterni, & Martyris, & in pluribus Cubiculis Romae Subterraneae, & in Abſidibus Eccleſiarum quiſque videre poteſt. Adnotat eximius Praeſul Blanchinius Tom. II. Anaſtaſiani Operis ad Vitam S. Zephyrini Sect. XVI. pag. 172. & deſcribit vitrei Calicis portionem, in quo intra porticus, vel tribunalia expreſſae ſunt SS. Apoſtolorum imagines; ſupra vero ſingulas eorum columnas in circuli ornamento incluſum CHRISTI Nomen hoc modo, ut etiam CRVCEM



eius referat, conſpicitur. Columnae Baſilicae Sancti Pauli, quum nuper expolirentur, in prima ita ſcriptum inventum eſt: SIRICIVS EPISCOPVS a ☧ ω TOTA MENTE DEVOTVS, ut Marangonius teſtatur de Reb. Ethn. Cap. LXIV. p. 536. Hoc divino Signo ſublimi in loco exaltato, erectoque in ſacris Aedificiis facile, ut opinor, veteres Chriſtiani admonebantur, ut maximum a Deo ſuſceptae Fidei beneficium adſidua mente recolerent; illud enim eius Baptiſmate regenerati, & Chryſmate conſignati in fronte gerebant; nam & ipſi ſtatimac ſacris aquis tincti fuerant, edito in loco ante Sacrarium locabantur, atque elevabantur, ut luculenter Caſalius de vet. Chriſtian. Rit. Cap. V. de Baptiſmo pag. 55. oſtendit.

X. Poſtremo ad tanti Nominis dignitatem, & gloriam ipſa elevatione, & glorioſa exultatione uberius oſtendendam, adcedit, quod ipſum Monogramma in vertice divini Capitis Redemptoris pingere, & ſculpere mos fuit, uti eximium monumentum a Cl. Boldetto adlatum Par. I. Coemete-

rior. SS. Martyr. Lib. I. Cap. xv. Tab. I. n. 3. pag. 60. evidenter teſtatur. Nam in pervetuſta oſſea lamella orbiculari, quam in Coemeterio Calliſti invenit, caelatus cernitur Christvs Dominvs, qui dextra benedicit, caputque habet nimbo ornatum; eius vero vertici ita ſcultum Monogramma



eius Nomen, & Crvcem referens, ſuperpoſitum eſt, atque exaltatum: quo ritu nil auguſtius, nil dignius, atque admirabilius excogitari poteſt. Compluribus in monumentis vetuſtiſſimis cum Christi Salvatoris imagine pictus, ſculptuſve ſpectatur Agnvs, qui ipſum Redemptorem, ut diximus refert, ad quem currunt, ut eum adgnoſcant, & vocem eius audiant, Agni ſive Oves, quae per ſacrum Lavacrum in eius ovili congregatae ſunt; & in capite eiusdem Agni erecta, atque impoſita cernitur non ſolum Crvx Salvifica, ut in Tab. xxi. & xxii. Romae Subterraneae; verum etiam ſacroſanctum hoc Signum ☧, quo eius nimbus ornatur, cuius inſigne exemplum exhibet Ciampinius in picturis e muſivo opere Eccleſiae Sanctae Caeciliae de Vrbe Tab. lii. veter. Monum. Par. II. quod ipſe tamen inobſervatum reliquit; ſed animadverſione dignum cenſuit Eruditiſſimus Franciſcus Eques Victorivs in Comment. in Nummum aereum vet. Chriſtian. Par. I. Cap. xl. pag. 52. ubi etiam veterum Chriſtianorum Lucernas fictiles exhibet divino Monogrammate inſignes, quod gemmis variis diſtinctum ob-

obſervatur. Idem Ciampinius ibidem profert Abſidem muſivo opere pictam Eccleſiae S. Mariae Novae Vrbis Tab. LIII. cuius Triumphalis Arcus non ſolum Monogrammate, ſed etiam ſeorſim Crvce inter duos lauri ramos, ſeu palmas condecoratum eſt. Huc pertinent laudes S. Leonis Papae Serm. VIII. de Paſſione Domini, quibus tum Crvcem, tum Agnvm ipſum Christvm complectitur: quibus & innoteſcit, cur haec ſymbola in Eccleſiis ad Arae maximae decus, & maieſtatem, & ad Dominicae Paſſionis myſteria altius menti infigenda Fidelibus contemplanda proponerentur. Crvx *tua omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte; nunc etiam carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum, una* Corporis, & Sangvinis *tui implet oblatio: quoniam tu es verus* Agnvs Dei, *qui tollis peccata mundi: & ſicut in te univerſa perficis myſteria: & ſicut unum eſt pro omni victima ſacrificium, ita unum de omni gente ſit regnum*.

X. Suſpendium ipſum in Crvce, crucifixionem, & mortem in medio ſceleſtorum, & noxiorum latronum Christvs Dominus noſter Exaltationem ſuam dixit, de qua luculenter Sancti Patres diſſerunt. Poſtquam Iesvs dixiſſet: *Pater clarifica nomen tuum*, & vox de caelo veniſſet: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*; ſtantibus, & audientibus turbis, dixit, ut eſt apud Ioannem Cap. XII. ver. 31. & ſeq. *Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras: & ego ſi* Exaltatvs *fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*. (*Hoc autem dicebat, ſignificans, qua*

morte eſſet morituras .) Et eiusdem Ioannis Cap. III. ver. 14. & ſeqq. *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita* EXALTARI *oportet Filium hominis; ut omnis , qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, &c.* Haec Redemptoris verba meditantes, ab ipſis Eccleſiae primordiis arbitror Chriſtianos adorabile Christi Nomen aeternae ſalutis pignus, ac ſingulare praeſidium, non ſolum ſumma religione coluiſſe; verum etiam, ut divinis honoribus adficerent, Columnis impoſitum, in Tabulis in ſublime ſuſpenſis, in ſacris aedibus, & earum fronte, in capitulis Columnarum, atque in Triumphalibus Arcubus, & in ipſo Salvatoris & Agni vertice erexiſſe, elevaſſe, atque ita exaltaſſe, quod obſervatione maxime dignum, nondum ab aliis elucidatum, cenſui.

X. Alterum praeterea honoris genus excogitarunt a Deo docti, & illuminati priſci Fideles, quod ipſum quoque eſt ſublimiſſimum, atque auguſtiſſimum. Nam myſteriis plenum, diviniſſimum Monogramma, hoc modo expreſſum

 vel 

intra lauream coronam in ſummo Vivificae Crucis Signo, gemmis crebris diſtincto, impoſuerunt, & exaltarunt, ut videre eſt in marmoreo ſacro Sarcophago e Vaticano Coemeterio defoſſo Tomo I. Romae Subterraneae penes Doctiſſimum Praeſulem Bot-

Bottarivm Tab. xxx. qui egregie illud illuſtrat, & alterum eiusdem Monogrammatis exemplum indicat penes piiſſimum, & Celeberrimum P. Mabillonivm Tom. I. Annal. Benedict. Lib. xviii. num. 72. de quo ea, quae adnotat, conſulenda ſunt. Vide etiam Cl. Equitis Victorii plumbeam laminam, quam in Mantiſſa de Monogrammate Sanctiſſimi Nominis Iesv explicat. Hinc quoque argumenta deſumi poſſunt, ut probemus, quam longe vetuſtiſſimum ſit feſtum Exaltationis Sanctae Crvcis, cuius pervulgatam celebritatem ad ipſum Conſtantini aevum referre poſſumus, quando ei ſalutare Monogramma, ſive Sancta Crvx adparuit; vel quando per B. Helenam eius matrem Crvx inventa divinitus eſt; non vero quando per Heraclium, devicto Cosroha, reſtituta eſt: de qua celebritatis origine plura Magnus Baronius in Martyrologium, ac nuper Sapientiſſimus Lambertinivs, nunc Benedictvs XIV. Pontifex Optimus Maximus in praeclaro Opere de Feſtis Domini Noſtri Iesv Christi Par. I. §. dxcvii. & ſeq. ubi de ea uberrime diſſerit. Profecto in vetuſtiſſimis Sacramentariis Gelaſiano, Gregoriano, & in Capitularibus, eiusdem Exaltationis Sanctae Crvcis monumenta habentur, quae proferuntur a Celeberrimo Praeſule Dominico Georgio in Adnotationibus ad Martyrologium Adonis die xiv. Septembris, pag. 473. Ex dictis igitur, adnotatiſque evidenter adparet, quam altius repetenda ſit haec Exaltationis Admirandi Christi Nominis, ac pariter eius Crvcis, quae cum eo coniuncta eſt, celebritas: quod etiam de ipſo Iesv Nomine adfirmari poteſt, de quo tam mira Petrus Apoſtolorum Princeps ipſa Penteco-ſtes die effatus eſt, ut habetur Cap. II. Act. Apoſtol. ac praeſertim ver. 32. ut ſupra mone-

bam. *Hunc* Iesvm *reſuſcitavit Deus, cuius omnes nos teſtes ſumus. Dextera igitur Dei* exaltatvs, *& promiſſione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis*. Exaltationem huiuſce Nominis, quod eſt ſuper omne nomen, deſcribit Illuſtr. Ciampinius in picturis e muſivo opere, nempe in Triumphalis Arcus Apſide, in Tribuna Vaticanae Baſilicae olim exſtantibus, quas adfert in Opere de Sacris Aedificiis Tabula xiii. pag. 42. ad quem plura cupientem Lectorem ablego. Salutare hoc inſtitutum invocandi, adorandi, geſtandique ineffabile Nomen Iesv, atque aedium poſtibus inſcribendi, quanquam multa ſuadeant eſſe vetuſtiſſimum, & credibile ſit in Eccleſia Orientali, & Occidentali antiquitus celebratum fuiſſe octava Nativitatis Domini Noſtri Iesv Christi die; tamen poſtmodum, frigeſcente Fidelium pietate, in priſtinam gloriam revocavit divino eius amore flagrantiſſimus S Bernardinus Senenſis initio ſeculi xv. de quo plura Illuſtr. Eques Victorivs in laudata Diſſertatione de Monogrammate SS. Nominis Iesv. In aliquot Etruriae Vrbibus ad portam maiorem Baſilicarum adhuc ſpectantur, quae ipſe obſervavi, quaedam parva pegmata e marmore, parietinis adfixa, in quibus, ut ipſi cives mihi narrabant, S. Bernardinvs elevabat, extollebatque Tabulam ſuam ornatam Nomine Iesv, intra coruſcantem radiatam coronam, & ipſe ſub eo pegmate ſtans, ad populum concionem habebat, & admiranda eiusdem Nominis prodigia pateſaciebat.

CA-

CAPVT VII.


De Sancta Crvce *ſimplici , ſanguinea , coronata , radiata , emblematis , atque imaginibus ornata, itemque literata , priſcorum Fidelium adorationi expoſita.*

I. SCribenti mihi de Crvce Dominica , cuius Sacramento fundata eſt Chriſtiana Religio , & non pauca notatu digna de eius figura , ornatuque , & cultu in Sancta Dei Eccleſia ab eius primordiis expendenti , ſtatim occurrit adſimile Signum, longe remotis ſeculis , ab Aegyptiis omnium ſapientiſſimis uſurpatum , & inter Hieroglyphica connumeratum , tanquam auſpicatiſſimum , & ſalutare , non vero uti apud Chriſtianos tanquam myſterium ; cuius icon in ipſis Aegyptiorum monumentis iam editis , ac praeſertim in Iſiaca Menſa , frequenter conſpicitur. Ita praeparaſſe videtur Deus Aegyptios ad praenoſcenda , quum tempus ſalutis adveniſſet , arcana ſapientiae ſuae , & humani generis redemptionem , quam operatus eſt in Crvce benignitas , & humanitas Salvatoris noſtri : quapropter eum apud Aegyptios adhuc puerum verſari voluit , ut illud impleret , quod per Oſeam Prophetam Cap. xi. ver. 1. dixerat : *Ex Aegypto vocavi Filium meum*; & iam impletum in Matthaei Evangelio Cap. II. ver. 15. memoratur. Arcanum divinae mentis adeo mirabile eſt , ut cum Paulo dicere poſſimus : *O altitudo divitiarum ſapientiae , & ſcientiae Dei , quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius , & inveſtigabiles viae eius* ! Sed inter omnia exempla , quae ex Antiquitatibus Aegyptiorum proferri , ac ſummo

cum honore huiuſce aetatis commemorari poſſunt, illud plane eſt nobiliſſimum, ac ceteris magis illuſtre, quod nobis ſubpeditat inſignis Auguſti Caeſaris Obeliſcus Horarius, qui Romae in Campo Martio, conſpicuo, inſignique loco, ab eo Soli dicatus eſt, & quidem fere annis novem ante Iesv Christi Domini Noſtri Nativitatem, nempe Aegypto in poteſtatem Populi Romani redacta, quum ipſe Imperator eſſet XII. Cos. XI. TRIB. POT. XIV. ut in baſi eiusdem Obeliſci legitur, quod eſt notatu valde dignum; ut hinc etiam intelligi poſſit, quo tempore miſericors Dominus mirabile Crvcis Signum compluribus iam ante ſeculis ab iisdem Aegyptiis hieroglyphice expreſſum in tam inſigni monumento, Romae in tenebris Ethnicae ſuperſtitionis iacenti, ac totum Orbem imperio occupanti, praemonſtrarit, & hac noſtra aetate ad augendum Fidei noſtrae triumphum, iterum e tenebris in hanc lucem divino conſilio revocaverit. Tam memorandi Operis inventio, quae ſub Iulio II. Pontifice Maximo facile contingere poterat, ni bello gerendo detentus fuiſſet, reſervata eſt Pontifici Optimo Maximo, ac Sapientiſſimo Benedicto XIV. cuius vigli cura, & providentia nuper e ſuis latebris feliciter erutus eſt, & omnium oculis expoſitus, de quo etiam non pauca ad eius Hiſtoriam pertinentia paucis ab hinc menſibus in primo mearum Symbolarum Volumine adnotavi pag. 82. & in Notitiis ſeorſim editis Antiquitatum Herculanenſium num. xix. & xxv. quas, ſi otium eſt, vide. In altero ex quatuor huiuſce famoſiſsimi Obeliſci lateribus, quod pulcherrimum, atque integrum eſt, neque ignis, aut temporum vi labefactatum, hoc ipſum Hieroglyphicum ſalutis, vitae, ac felicitatis indi-

cium,

cium, ac praeſagium continens, ut omnes teſtantur Interpretes, Crucem refert, quae ita ſculpta obſervatur:



Id ipſum elapſi anni menſe Decembri comperi ex accurato ſchemate, quod mihi ab amiciſſimo Viro, Socio Celumbario, Alexandro Minerbettio Sqvarcialvpio, Patricio Florentino, humaniſsime oſtenſum eſt. Multa, quae de eo dici poſſent, ad alia properans, praetereo.

II. Vſi ſunt quoque Etruſci noſtri hoc ſalutari themate; nam ut videre eſt in Tomo III. mei Muſei Etruſci Tab. II. & v. Sepulcra ſua quandoque in formam crucis exſtruxerunt; quam ſacris myſteriis imbuti veteres Chriſtiani, ſanctiore conſilio, in Coemeteriis, ſacris Aedibus, ac Baſilicis condendis uſurparunt. Nec tantum Aegyptios, & Etruſcos, verum & totum Orbem ad Vivificae Crvcis cognitionem praeparavit Deus, longe ante praefinitum Redemptionis tempus, illud proponens, & in uſu humanae ſocietatis eſſe volens. Hebraeis in Samaritica littera *Thau*, atque etiam Graecis, & Latinis in T, adde etiam Etruſcis (a quibus, ut oſtendi, littera T ita expreſſa cernitur †† ⊤ T) quod Deus ſignari iuſsit ſuper frontes virorum gementium, & dolentium propter abominationes, quas

Digitized by Google

quas patrari in Hieruſalem videbant, ut narrat Ezechiel Propheta Cap. ix. ver. 4. de qua luculenter diſſerit Huetius Demonſtr. Evang. Propoſit. x. Cap. cxxvii. num. iv. & plura egregie adnotat Cl. Praeſul Bottarius in Tab. xx. Romae Subterran. pag. 83. Ita quoque Crvx Dominica non raro in vetuſtis Chriſtianorum monumentis ſculpta eſt, ut T referat; & ne in ambiguo res ſit, interdum myſticae litterae A, & ω adpinguntur, ut videre eſt apud Boldettium in Obſervat. ad Coemet. Vrbis Par. i. Lib. i. Cap. xix. p. 80. ubi cum Monogrammate ſociatur in Epitaphio Aurelii Alexandri Valentiniano III. & Valente III. Coss. anno Chriſti 370. & Par. iI. Lib. iI. Cap. iiI. pag. 353. nec non Cap. xv. pag. 522. & Cap. xviii. pag. 572. qui etiam adnotat in Coemeterio Calliſti pluribus in locis ita Crvcem T pictam variis coloribus adhuc occurrere, ac ſe conſpexiſſe, atque etiam in Sepulcris interdum lapillis muſivo opere expreſſam.

iiI. Minime dubitandum eſt ab ipſis Eccleſiae primordiis Fideles Crvcem Dominicam deveneratos eſſe, Crucifixi tamen Imagine carentem, cuius potentiam, virtutem, myſteria a Sanctis Patribus edocti aeque ac amariſsimam Christi Paſſionem probe noverunt; nam ut ait Apoſtolus ad Hebraeos Cap. xii. ver. 2. *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummationem* Iesvm, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit* Crvcem, *confuſione contempta*, omnia bona, ſalutem, & vitam aeternam per Crvcem eius ſe accepiſſe credebant. Hinc ſignum Crvcis in divino Sacrificio, in ſacris caerimoniis, in benedictionibus, in Sacramentis conficiendis, diſpenſandiſque, in vaſculis, in veſtibus, in memoriis

Mar-

Martyrum, in Altaribus adhibitum eſt; adeo, ut omnes unanimi conſenſu cum Beatiſsimo Paulo dicerent, ad Galatas Cap. vi. verſ. 14. *Mihi autem abſit gloriari niſi in* Crvce *Domini Noſtri* Iesv Christi, *per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Luculentiſsima exſtant Patrum teſtimonia, & pluribus in locis Tertullianus veterum Chriſtianorum pietatem commemorat, & Signi Crvcis admirandam virtutem, & contra hoſtiles Diaboli incurſus potentiam commendat, de quibus uberrime Doctiſsimus Gretſerus de Crvce. Pudet memorare ſupinam adeo Baſnagii non dicam hallucinationem, ſed ignorantiam, qui pluribus conatur oſtendere in Diſſertatione xii. de Catechumenis, ante quartum ſeculum nullum haberi firmiſsimum teſtimonium, ut conſtet Signo Crvcis Baptiſmate tinctos conſignatos fuiſſe, quod alibi, Deo dante, fuſius erit expendendum, reiectis eius ambagibus.

IV. Simplex, nuda, ac pura Crvx Domini ab ipſis fere Chriſtianae Religionis primordiis ſculpta cernitur in pluribus Chriſtianorum ſepulcralibus titulis penes Boſium, Aringhium, & Boldettium: perſaepe etiam ita expreſſa eſt, nt anchoram repraeſentat in extrema imaque ſui parte adpoſitis hinc inde piſcibus; nam & in iisdem titulis frequenter caelata conſpicitur navis Eccleſiam referens, cuius Fideles piſcibus deſignantur. Sed prae ceteris illuſtre exemplum ſpectari poteſt apud Cl. Marangonium in edito lapide pag. 95. e Coemeterio Thraſonis, ſeu Saturnini Via Salaria, qui poſitus eſt Felici Chriſtiano homini, in quo non ſolum Monogramma a dextris, verum etiam Crvx a ſiniſtris imaginis cuiusdam, ut mihi videtur Iesv

Chri-

Christi inter oviculas, expreſſa eſt. Martyrum, ſepulcra, ut monebam Crvce conſignata ſpectantur apud Ciampinium Vet. Monum. Par. I. Tab. xliii. & Par. II. Tab. III. Quam vero Crvx ipſis bene conveniat oſtendit S. Paulinus Nolanus Epiſcopus in Epiſt. xii. ad Severum, qui ita ſcribit:

Sic ubi Crvx, *& Martyr ibi*, *qua Martyr ibi*
& Crvx,
Martyrii Sanctis, *quae pia cauſa fuit*.

Senſim poſtmodum in antiquis Vrbis Coemeteriis divina Crvx coloribus variis ornari coepit; ſed minio, rubroque colore tanquam praecipuo, ac proprio illitam invenimus, ut fuſum Christi Crvcifixi cruorem, quo purpurata eſt, referret. Hanc ita deſcribit praelaudatus Sanctiſſimus Nolanus Antiſtes in eadem Epiſt. xii.

Sub Crvce Sangvinea *niveo ſtat* Christvs *in* Agno.

V. Verum poſtquam Conſtantinus Magnus, Sanctae Crvcis praeſidio, Maxentium Tyrannum devicit, indulſitque Chriſtianis, ut prodeuntes e Cryptis, ac Coemeteriis, Templa in publica totius Orbis luce conſecrarent, & in iisdem ſacras Synaxes ſine metu haberent, ipſe exemplo ſuo docuit, quam maximo honore Christi Nomen adorabile, & Vivifica eius Crvx colenda, & adoranda eſſet. Nam teſte Euſebio in eius Vita Lib. iv. Cap. 49. laqueare palatii ſui Conſtantinopolitani gemmata Crvce condecorari praecepit. Tunc eo auctore Crvx Dominica gemmis, lapillis, ac margari-

garitis praetioſiſſimis ornari, ac publicae omnium Fidelium adorationi conſtanter exponi coepta eſt.

VI. Tunc lege ab eo lata cautum eſt, ne in poſterum noxii homines in cruce ſuſpenderentur, ſublataque inde ipſius Crucis ignominia, maximo, atque incredibili Neophytorum foetu, ſtatim multiplicata eſt toto terrarum Orbe CHRISTI Eccleſia, & maximis honoribus Vitale Lignum ab omnibus gentibus, ac populis adoratum, ſalutatum, exoſculatum, ubique expoſitum, exaltatum in thronis ornatiſſimis, expoſitum in Altaribus; nec ſolum gemmis, verum etiam radiis fulgidiſſimis undique condecoratum: locatum inter ſidera, uti in Triumphalibus Arcubus vermiculato opere pictis apud Ciampinium ſpectatur: cum eo coniunctae palmae, flores, ac lilia: eidem impoſita candelabra, & faces: laureis quoque coronis ornatum, geſtatum in ſupplicationibus, in fronte Regum fixum, adeo ut Chriſtiani Imperatores prae ſceptro, & regno ampliſſimoque ſubiectorum populorum imperio in CRVCE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI praeter modum unice gloriarentur, & in nummis CRVCEM geſtantes cum ipſi tum eorum Victoriae exhiberentur.

VII. Circa Conſtantini Auguſti aevum haud aegre crediderim obtinuiſſe morem repraeſentandi una cum CHRISTI Monogrammate CRVCEM deſignatam, Monogrammate ita expreſſo: quod non ſolum CHRISTI Nomen Admirabile per litteras X, & P, ſed etiam CRVCEM deſignat coniuncta littera σ *Sigma* cum P, ut inde CTAYPOC, CRVX, magis perſpicue eliceretur, atque intelligeretur. Clare quoque emicuit cum CHRISTI Nomine



Ado-

Adorabile Crvcis myſterium, quum una cum Monogrammate littera T coniuncta eſt, quam primam divino conſilio poſitam in ſacroſancta Actione, nempe in Canone Miſſae cernimus, hinc tremendum ſalutaris Hostiae Sacrificium auſpicantibus Romanae Eccleſiae Sacerdotibus: Te Igitvr Clementissime Pater &c. Quod ab aliis ſacrarum Antiquitatum Interpretibus factum obſervo, gratum fore arbitror, ſi heic quoque repetam inſignem, ac multis nominibus commendabilem anularem e cryſtallo Gemmam Chriſtianam, quolibet Auguſtei aevi Cameo pretioſiorem, quam primus in lucem protulit eximius Aringhius in Tomo II. Romae Subterran. Lib. vi. Cap. i. pag. 705. cuius ectypum ſe accepiſſe fatetur ab Eminentiſs. Cardinali Franciſco Barberino, S. Romanae Eccleſiae Vicecancellario, multis laudibus aeternum depraedicando. Et gemmam, & anulum ipſum, in quo inſerta eſt, protulit Aringhius; ſed quia apud eum perverſo ordine caelatura exhibetur, ad exemplum apophragiſmatis, aucta eius magnitudine, ita delineandam ipſe curavi.



Idem Aringhius luculenter, & erudite ſacram hanc caelaturam explicat, atque in hoc prototy-

po,

po, quod Crvx denotata ſit littera T, & ipſe Christvs ſolito Monogrammate X & P, Graecis litteris prioribus implexis, referre manifeſte adfirmat ipſummet Chriſtum Dominum Salvatorem, humanaeque felicitatis auctorem, Crvcis patibulo noſtri cauſa ſuffixum, qui unus idemque Deus, & Homo eſt; ſiquidem *Tau* Crvcis figura eſt; *Alpha* vero, & *Omega* velut digito praemonſtrant eiusdem Christi aeternam, ac ineffabilem Divinitatem, atque, ut alii etiam ſacri Interpretes adfirmant, pariter Humanitatem. Columbae Fidelium ſimplicitatem, Serpens Diabolum, qui in ligno vicerat, in ligno ab eo victum, vel Chriſtianam prudentiam praenotant. Addita eſt in parergo epigraphe: salvs, quia Dominus Iesvs ſalutem humani generis in Ligno Crvcis conſtituit, atque operatus eſt. Adfert etiam Aringhius ex Magno Baronio numiſma Conſtantini inſigne, in cuius poſtica haſta labari, ornati in vertice ſacri Monogrammatis typo, infixa eſt Serpenti cum epigraphe: spes pvblica.

VIII. Quia de Dracone ſuffixo, ac ſubiecto Conſtantini labaro ſermo iniectus eſt, perlubet obſervare pervetuſtam ſeculi ix. ſculpturam ſacram, quam inter monumenta Aquileienſia adfert Eruditiſſimus, deque litteris optime meritus, Comes Ioannes Dominicus Bertolivs, Sanctae Eccleſiae Aquilegienſis Canonicus pag. 406. in quo a ſiniſtris Christi in Crvce quatuor clavis adfixi ſculpta eſt, ut opinor, vel Conſtantini, vel alterius Principis aemulatoris pietatis, ac Religionis Conſtantini Magni imago, qui haſta Draconem, quem pedibus conterit, confodit. Altera Auguſtae mulieris Imago Helena eius mater eſſe poteſt, vel alia Princeps

ceps femina cum eius imagine, quae piſcem trahit ad Christvm ex palmite vitis, qui Crvcem ipſam, & Corpus Christi circumcingit. Plane ſpectatu digniſſimum eſt hoc ſacrum monumentum, quod cupio, ut luculentius ab ipſo Clariſſimo Auctore in Adpendice, quam parat ad Monumenta Aquileienſia, explicetur. Quod adtinet ad meam coniecturam de Conſtantino probandam, ut haec ſcribam, admonet me picta illa Tabula, quam idem Conſtantinus cum ſua imagine pro foribus palatii ſui propoſuit, victrici Signo Crvcis in capite prominente, ſub pedibus autem ſtrato Dracone, labari cuſpide transfixo, & fluctibus obruto; qua deſcriptione ſymbolice adumbrabatur, Draconem antiquum, Idolatriae principem, ab ipſo Conſtantino virtute Crvcis proſtratum, confoſſum, ac ſubmerſum fuiſſe, iuxta prophetiam Iſaiae Cap. 27. verſ. 1. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leviathan ſerpentem vectem* (id eſt, in longum protenſum inſtar vectis) *& ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum; & occidet cetum, qui in mari eſt*. Ad quam imaginem adludit Prudentius Libro περὶ Στέφανων, Hymno 1. loquens de duobus Draconariis, qui e militibus Gentilium Chriſtiani facti, Crvcem in exercitu pro Dracone ferebant, his verſibus:

Proque ventoſis Draconum, quos gerebant, palliis,
Praeferunt Insigne Lignvm, *quod Draconem*
ſubdidit.

De hoc ipſo Conſtantini emblemate multa adnotat praelaudatus Claudius Epiſcopus Andegavenſis *de Proceſſionibus* Cap. uI. ubi expendit cur Draconis

ima-

imago in Letania maiore, & Rogationibus, potius quam in aliis Proceſſionibus, antiquitus aliquibus in locis ſimul cum Crvce, & Vexillo deferretur.

VIIII. Inter ſacra Donaria principem locum obtinuit Crvx Dominica, & Evangelii Volumen, quae quam magnifice, ſplendide, & quam miris ornamentis condecorari ſolerent, perſpicue ſi quis plura velit, colliget ex Anaſtaſiano opere de Vitis Pontificum Romanorum, in quibus frequenter, ſacro ritu per complura ſecula transducto, deſcribuntur. Frequenter Crvx, e ſolido auro, pondere inſignis, gemmis, lapilliſque pretioſiſſimis ornata, Eccleſiis Vrbis dono data memoratur: in qua illuſtranda omnibus palmam praeripuit in Roma ſua Subterranea Celeberrimus Bottarius, praeſertim in T. I. ad Tab. xliv. Frequentiſſime etiam occurrit in ſacris picturis, & ſculpturis primaevorum Chriſtianorum ab eo iterum adlatis, atque inexhauſta eruditione explicatis, quae plane ſunt omnibus gemmis, omnique auro pretioſiores. Occurrit etiam in vetuſtioribus, & remotioris aevi picturis e muſivo opere, quibus fere totius Orbis Eccleſiae antiquiſsimae, praeſertim Romae, ac Ravennae, condecoratae ſpectantur, quarum Abſides, Tribunalia, & Triumphales Arcus hoc mirabili Chriſtianae Religionis Vexillo inſigniuntur. Gemmatam Crvcem geſtat Agnvs Dei, ut antea oſtendi; item Christvs Salvator, ac Redemptor noſter, Angeli, Apoſtoli, & Sancti Chriſti Confeſſores. Tunc etiam priſci Fideles gemmis ornare conſueverunt venerabile Monogramma, quod Christi Nomen Diviniſſimum; & Sanctam eius pariter Crvcem complectitur. Vtriuſque admirabilis Symboli exemplum pulcherrimum exhibet pictura muſivi operis, quae

Ravennae conſpicitur in Eccleſia S. Vitalis, quae eo decorata eſt circa annum Domini DXLVII. Hanc in lucem protulit Ciampinius Veter. Monument. Par. II. Cap. IX. Tab. XXII. pag. 73. qui cenſet S. Maximianum Ravennae Praeſulem, qui gemmatam Crucem geſtat, procedere ſolemni ritu, ac pompa ad eam Eccleſiam conſecrandam una cum ſacris Miniſtris: pone eum procedente Iuſtiniano Imperatore cum ſuis Aulicis Viris, ac Militibus, quorum unus clypeum gemmatum geſtat, divino ornatum Monogrammate, undique pretioſis gemmis condecoratum. Sed inſuper ſubſequutis temporibus morem obtinuiſſe ornandi Crucem pretioſis lapillis, perſpicue oſtenſtunt Imperatorum edita numiſmata penes Du-Cangium, Bandurium, & alios celeberrimi nominis Numographos. Quum ipſa Cruce nullae gemmae pretioſiores ducerentur, ipſa Crux multis crucibus ornata interdum occurrit, ut apud Caſalium; quod decus apud Graecos potiſsimum invaluit, qui Sanctorum Antiſtitum, Auguſtorum, Auguſtarumque veſtes multis Crucibus eleganti ordine diſpoſitis ornare in more poſitum habuere, uti ſupra innuimus: & perſpicuum huius praeclari inſtituti perhibet teſtimonium Tabula pervetuſta S. Crucis a Clariſsimo P. D. Anſelmo Coſtadonio luculenter ſuperius illuſtrata, & Tabula XLVII. pag. 148. Veter. Monument. Par. II. apud Ciampinium, & duae pervetuſtae pictae a Graecis Tabulae cum imaginibus Sanctorum Baſilii, & Ioannis Chryſoſtomi, quae inter mea Cimelia adſervantur.

X. Alia Symbola, ornamenta, ac parerga *μυστηριώδη*, ſapientiſsimo conſilio Cruci Dominicae addenda cenſuere Sancti Patres, nempe in eius ver-

vertice columbam, vel numero etiam quatuor, aut duodecim columbas per ſingulas quatuor Crucis partes, quibus divinum Paracletum Spiritum, vel Evangeliſtas, vel Apoſtolos deſignarunt, Crvcis huiuſmodi Icones adferunt. Mox labente quincto, & ſubſequutis ſeculis, paſſim additae ſunt ſacrae Imagines, & Hiſtoriae, quarum Icones apud Ciampinium conſpici poſſunt, ubi de Crvce Stationali Vet. Monum. Par. II. Cap. vi. luculenter pertractat. Inter praecipua Sanctae Crvcis emblemata memorantur ſymbolica iv. Evangeliſtarum Animalia, quae priſca diſciplina, quid ſignificarent, Catechumenis edicebatur, antequam ſolemniter Baptiſmum ſuſciperent, ut legere eſt in antiquis Sacramentariis. Plane primis quatuor, & amplius ſeculis ſimpliciſsima fuere Sanctae Crvcis ſymbola, & ornamenta. Praecipuum fuit corona ex ea pendens, quae Chriſtianis Crvcem Domini ferentibus praemium caeleſte poſt breviſsimum huius vitae curriculum offerebat, ac ſpondebat. Sed inter maxima ac praecipua Crvcis aureae, vel argenteae ornamenta fuere Lignum ipſum adorabile in ea reconditum, Sanctorum Imagines, & veneranda Lipſana, quae etiam gemmis pretioſiſſimis condecorari ſolebant. Ipſa etiam Christi Imago, ut mox dicam, glorioſa, in medio ſculpta, maximum fuit Crvcis decus, & ornamentum; quod multis exemplis confirmatum videre eſt penes Clariſſimum Praeſulem Dominicum Georgivm in Tomo I. de Liturgia Romani Pontificis in Diſquiſitione de ſacro Miniſterio Cap. xxxii. Frequentiſſime etiam ipſa Sanctorum Lipſana, praeſertim ea, quae in Hierothecis portatilibus, & ad collum ſuſpenſis geſtari devotiſſime ſolebant, Crvx Domini inſculpebatur; cuius exemplum a me ſuppeditatum in Lipſanotheca S. Mer-

curii Martyris, quae exſtat in Theſauro huiuſce Baptiſterii Florentini, in lucem protulit Cl. Victorius Giovardius pag. xv. in Praefatione ad eius Acta. Cum Crvce maiore, aliae in ea



in hunc modum in ſummis quatuor capitibus ſculptae ſunt, Graecorum ritu; nam e duplici Graeca epigraphe conſtat, a Michaele Graecorum Imperatore ex Palaeologis, qui anno mcclxii. imperare coepit, collo adpenſam geſtatam fuiſſe.

X. De Crvce Litterata nunc aliquid depromendum ſupereſt: de qua, quum multa notatu digna congeri poſsint, perpauca ſane expoſita, & hac illac ſparſa apud Auctores eximios, qui de Crvce luculentiſsime pertractarunt, mihi, ut ingenue fatear, occurrunt. Dummodo benignas aures praebeat mihi Eruditus Lector, non pauca, quae de his obſervavi, & apud varios Auctores legi, perlubet heic opportune congeſta depromere. De Crvcibvs Sanctis epigraphe Graeca, aut Latina ornatis, ſive, ut ita dicam, *litteratis*, in ſacris Conditoriis expoſitis, ſi multis obſervationibus benevolum Lectorem detinere vellem, complura exempla non ſine aliquo fructu adferre poſſem. Pauca tamen levi digito monſtrare perlubet. Iam ab ipſo Inventionis Sanctae Crvcis tempore, conſtat cum figuris, tum litteris eam condecorari conſuevisſe. In Pontificali Libro legimus S. Silveſtrum feciſse Cameram Baſilicae ex trimma auro fulgentem; & ſuper corpus Beati Petri, quod aere concluſit, feciſse Crvcem ex auro puriſſimo, penſantem libras cl. ad menſuram loculi, hac adiecta inſcriptione, uti legendum cenſet Cl. Vignolius pag. 92. CONSTANTINVS AVG. & HELENA AVG. Idem Conſtantinus Baſilicam condidit

didit

didit in Palatio Seſſoriano ad Sanctam Hieruſalem, ubi de Vivifico Ligno Sanctae Crvcis poſuit, & auro, & gemmis concluſit, & candelabra quatuor argentea lucentia, ſecundum numerum quatuor Evangeliorum, obtulit. Inde etiam mos apud Reges, & Principes obtinuit, ut hoſtibus profligatis, deletiſque, victorias ſuas in Crvce, quam Eccleſiis donabant, inſcriberent; quod ſeculo v. factum a Beliſario Patricio memoratur, qui ubi Romam venit, ſpoliis Wandalorum onuſtus, Crvcem auream cum gemmis obtulit Beato Petro Apoſtolo per manus Vigilii Papae, penſantem libras centum, in qua ſcripſit victorias ſuas. Memoratur etiam in Actis Concilii Nicaeni apud Baronium de Martyrio S. Procopii Annal. Eccleſ. Tom. iii. ad ann. cccviii. Crvx admiranda, ac caeleſti opere ornata tribus imaginibus, & in ea ſcriptum Hebraica dialecto EMMANVEL, & utrinque in ſummitate alarum MICHAEL, & GABRIEL. Aereae Tabulae inciſae Icon Sanctae Crvcis adfertur in praeclaro Opere Celeberrimi P. D. Magnoaldi Ziegelbaur, in Imperiali Ord. S. Benedicti Monaſterio ad duplices Aquas Profeſſo, cui titulum fecit: *Hiſtoria Didactica de* Sanctae Crvcis *cultu, & veneratione in Ordine Divi Benedicti*, quod Opus ipſe Vir amiciſſimus dono mihi dedit. Adfert pag. 116. Iconam Graecae Crvcis Monaſterii Augienſis noſtrae ſynchronam, cuius epigraphen docta Diſſertatione ibidem explanat Vir laudatiſſimus Dominicus Brichierivs Colvmbvs, Patricius Finarienſis, amicitia mihi coniunctiſſimus, ad quam eruditum Lectorem mitto: nec eam profero, quod implexi characteres, & notae apud nos deſiderentur. At idem Benedictinus Auctor pag. 65. Crvcem cum duplici tranſverſo ligno, maiore ſurſum, minore

deorſum ad exemplum Patriarcharum, ſcriptam tum in iisdem tranſverſis, tum in haſta mediana litteris Graecis una poſt aliam procedentibus, quorum characterum figurae, quum itidem apud typothetas noſtros non habeantur, totam epigraphen referam curſivis, ut aiunt, minoribus Graecis litteris, quae eandem ita exhibent. Hinc inde in tranſverſo ſuperiore ligno legitur adorabile Redemptoris Nomen ita ſcriptum: IC̅ XC̅, hoc eſt: IESVS CHRISTVS. mox eo ordine haec ſunt ſcripta: ϛαῦρῳ πανεὶς ὑψώσας ἀνθρώπον φύσιν γράφει Κομνήνος Μάνυηλ ϛεφηφόρος: *Cruci adfixus exaltavit hominum naturam. ſcribit Comnenus Manuel Imperator*. Haec Crvx exſtat in Monaſterio S. Germani a Pratis: Duas Crvces ex vera Christi Crvce, litteris Graecis ornatas, deſcribit eximius P. Montfauconius in Diar. Ital. Cap. 2v. pagg. 53. & 54. quae Venetiis adſervantur in Theſauro locupletiſſimo S. Marci. Ea, quam nunc primum ex eo deſcribimus, olim pertinuit ad Imperatricem Irenem Ducaenam, Alexii Comneni uxorem, quae defuncto coniuge, adſperius acta a filio Ioanne Comneno Imperatore, Monaſterium ingreſſa, Sanctimonialium veſtem induit; & quum proxime ad vitae exitum acceſſiſſet, quae iam antea Eccleſias donis ſuis cumulaverat, hoc, ut ipſa ait, poſtremo munere Eccleſiam Conſtantinopolitanam exornavit. Hanc ipſam Sanctiſſimae Crvcis Inſcriptionem eo lubentius profero, quia Montfauconianam eius verſionem pluribus in locis, uti conferentibus patebit, in marginalibus notis emendavit Cl. Antonius Maria Salvinivs, qui etiam in ſecundo verſu in infima parte pro Μελέμθαφη, ut idem Montfauconins exſcripſit, forte legendum cenſet, Μελεμβαφῆ. En ecce:

I. In

I. In ſuprema parte.

Καὶ τοῦτο γοῦν σοι προσφέρω πανυςάτως
Η'δη προσεγγίσασ' αὐταῖς ᾅδου πύλαις
Τὸ θεῖον ἀνάθημα τὸ ζωῆς ξύλον
E'ν ᾧ τὸ πνεῦμα τῷτ' ἔχοντι παρέθου
Καὶ τῶν πόνων ἔληξας οὓς ἐκαρτέρεις.

II. In brachio dextro.

Οἷς τοὺς πόνους ἔλυσας οὓς κατεκρίθην
Καὶ καρτερεῖν ἔπεισας ἡμᾶς ἐν πόνοις
Ταύτην δίδωμί σοι τελευταίαν δόσιν
Θνήσκουσα καὶ λήγουσα κἀγὼ τῶν πόνων,

III. In brachio ſiniſtro.

Η' Βασιλὶς Δούκαινα λάτρις Εἰρήνη
Χρυσένδυτις πρὶν, ἀλλὰ νῦν ἀκένδυτις,
E'ν τρυχίνοις νῦν ἡ τὸ πρὶν ἐν βυσσίνοις
Τὰ ῥάκκια ςέργουσα πορφύρας πλέον,

IV. In infima parte.

Πορφυρίδος κρίνουσα τὴν ἐπωμίδα
* Μελεμβάφη ἔχουσα, ὡς δέδοκτό σοι,
Σὺ δ' ἀντιδοίης λῆξιν ἐν μακαρίοις
Καὶ χαρμονὴν ἄληκτον ἐν σεσωσμένοις.

Cuius haec interpretatio eſt:

I. *Hoc etiam tibi poſtremum donum offero,*
Quae iam ad portas inferi quamproxime acceſſi;
Hoc,inquam,tibi divinum donum, Lignum ſcilicet vitae,
In quo ſpiritum tuum habenti ipſam commendaſti,
Et dolorum, quos conſtanter tu leras, finem feciſti.

II. *Quibus dolores ſolviſti, quibus damnata fueram*
Ac nobis tolerantiam in doloribus ſuaſiſti;
Hoc tibi ultimum donum tribuo
Moriens, & finiens ego quoque dolores

III. *Imperatrix Irene Ducaena, famula Dei, quae olim*
Aureis ornabar, iam vero laceris veſtibus induor;
Olim byſſo, nunc operta cilicio;
Et tamen hoſce pannos pluris quam purpuram faciens.

IV. *Purpureo amictu depoſito, ſuperhumerale*
Atro colore tinctum habens, ut tibi viſum eſt:
Tu mihi ſortem cum Beatis retribuas,
Et gaudium cum Sanctis aeternum.

Altera Crux ex vero, ut aiunt, Crucis Christi Ligno, exſtat in eodem toto Orbe celeberrimo D. Marci Theſauro, quae hanc Inſcriptionem praefert; quam Maria Auguſta, ut idem Montfauconius coniicit, Nicephori Botoniatae coniux, qui imperabat anno Chriſti MLXXVIII. ita inſcripſit.

Σὸς κόσμος ἐστὶ σταυρὲ πίστις καὶ πόθος
Οὕτως σε κοσμεῖ καὶ βασιλὶς Μαρία,
Ὃν οἱ σταλαγμοί τοῦ Θεοῦ τῶν αἱμάτων
Δόξαν θεϊκὴν * ἐστολίσαν καὶ κράτος
Πῶς δοξάζουσι μαργαρῖται καὶ λίθοι;

Paucis a Salvinio mutatis, ita Latine reddita eſt:

Quam

Quam exornant ſtillae divini Sanguinis,

Te fide ſolum & amore, *o* CRVX, *a nobis exornari decet*.

Hoc tibi genus honoris Imperatrix Maria tribuit.

Te quoque Dei gloria ac poteſtate indutam,

Quo decore adficient gemmae, *& margaritae?*

Inter Litteratas CRVCES ſane memorabilis, & praeclariſſima eſt CRVCIS particula incluſa in eburnea Tabula perelegantis operis, pluribus ſacris Imaginibus in antica parte ornata, adpoſitis ad ſingulas nominibus Graece ſcriptis, quae in Cortonenſi Baſilica adſervatur. In poſtica CRVCEM efformat ſequens epigraphe, quae memorat Nicephorum Phocam, diviniſſimum CRVCIS Pignus in eadem Tabula CRVCEM referente recondidiſſe in memoriam victoriae ſuae, qua anno DCCCLXIII. Saracenos debellavit, ac profligavit. Ea ita ſe habet:

Κ ΠΡΙΝ ΧΡΑΤΑΙΩ ΔΕCΠΟΤΗ ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΩ
ΧC ΔΕΔΩΚΕ (CΤΑΥΡΟΝ) ΕΙCΩΤΗΡΙΑΝ
Κ ΝΥΝ ΔΕ ΤΟΥΤΟΝ ΕΝ ΘΕΩ ΝΙΚΗΦΟΡΟC
ΑΝΑΞ ΤΡΟΠȣΤΑΙ ΦΥΛΑ ΒΑΡΒΑΡΩΝ ΕΧΩΝ

In ambitu, ſeu faſcia eiusdem Tabulae haec ſcripta ſunt:

✠ Ο ΤΗC ΜΓ ΕΚΚΛΗCΙΑC ΘΕΟΥ CΟΦΙΑC CΚΕΥΟΦΥΛΑΞ CΤΕΦΑΝΟC ΤΗΘΡΕΨΑΜΕΝΗ ΜΟΝΗ ΕΤΗΤΗC ΠΡΟCΦΕΡΕΙ ✠

Hanc

Hanc ipſam epigraphen adfert Cl. Carolus Du-Cangius in Hiſtoria Byzantina pag. 150. edit. Pariſ. ſed multis refertam mendis, & ſine verſione Latina, quam ſic propono:

Et primum forti Domino Conſtantino
Chriſtus dedit Crucem *in ſalutem.*
Et nunc iſtam in Deo habens Nicephorus
Rex evertit nationes Barbarorum.

Quae in ambitu ſcripta ſunt:

Magnae Eccleſiae Dei Sophiae Scevophylax,
(*h. e. Vaſorum Cuſtos*) *Stephanus Nutritori gratus offert.*

In hoc inſigne monumentum Diſſertationem avide expectamus a Viro Celeberrimo Philippo Venuto, Patricio Cortonenſi, qui utramque eiusdem eboreae Tabulae faciem aeri incidendam fecit, & mihi amicisque ſuis dono dedit; cuius ope hanc epigraphen exhibere potui, accuratius quidem, quem edita ſit apud Du-Cangium loco memorato. Alias Cruces *Litteratas* commemorat Gretſerus de Cruce Tom. III. Lib. IV. & praeſertim illam deſcribit, quae fuit Irenes, uxoris Imperatoris Alexii, & Matris Annae, quas vide. In Bollandiano Opere celeberrimo in fine, ubi *Paralipomena ad Conatum in Catalogos Pontificum* proferuntnr pag. 141. Icon adfertur S. Crucis apud Sinenſes ex argento, aere, vel ligno factae, quae tum in antica, tum in poſtica parte Sinicis crebris lit-

litteris, ſive hieroglyphicis ſcripta eſt, cum qua plurimi Sinenſes Neophyti ſepeliuntur, ad perpetuum ſubſceptae Fidei Chriſtianae monumentum. Sed haec pauca de Litteratis Crvcibvs exempla ſufficiant. Illud notandum pro coronide ſupereſt, Crvcem in ſummo Altarium faſtigio, non in gradibus, ut hodie fit, quarto, & deinde ſequutis ſeculis, conlocari conſueviſſe, quae idcirco Crvces *pendentes*, & *pendulae* dictae ſunt. Praecipuus locus his fuit in ſummitate Ciborii, & in Corona aurea, quae Altari imminebat, de quibus luculenter diſſerit omni cum laude memorandus praelaudatus Praeſul Dominicus Georgivs Liturg. Pontif. Tom. I. Diſquiſit. de ſacro Miniſterio Cap. xxxii. quod confirmat hiſce verſibus S. Paulini Nolani in Epiſt. ad Severum xxxii. al. xii. num. 7.

Divinum veneranda tegunt altaria *foedus,*
Compoſitiſque sacra *cum* Crvce *Martyribus.*
Cuncta ſalutiferi coëunt inſignia Christi:
Crvx, *Corpus, Sanguis, Martyris, ipſe* Devs.


Poſtremum verſum ita interpretatur Mabillonius de Liturg. Gallic. Lib. I. Cap. ix. num. 24. Crvx *in ſummo Ciborii vertice*; Corpvs, *&* Sangvis, *id-eſt, Reliquiae Martyris in imo, ſcilicet ſubtus Altare; ipſe* Devs, *hoc eſt ipſum* Domini Corpvs *in columba adpenſum in medio*. Sero obtinuit, ut Altaria gradus haberent, gradus candelabra, & alia ornamenta, ut opinatur Ciampinius, in uſu fuere circa ſeculum decimum.

CA-

CAPVT VIII.

De Imagine CHRISTI *una cum* CRVCE, *vel in ipſa* CRVCE *expreſſa*.

I. ANtequam publicae Fidelium adorationi IESVS CHRISTVS CRVCIFIXVS exponeretur, Sanctiſſimi Patres, Eccleſiae Dei moderatores ſapientiſſimi, ſenſim, gradatimque procedentes, divino edocti conſilio, & caeleſti inſtitutione inſtructi, Imaginem CHRISTI tanquam Victoris, ac Mortis, & Inferni Triumphatoris invictiſſimi, atque glorioſiſſimi primum contemplandam, & colendam propoſuerunt, addita CRVCE, vel expreſſa in eius nimbo, ſive diademate, vel poſita in manu eius dextera, vel circa ipſum: de quo ritu, & conſuetudine, quae ad ſeculum uſque quinctum, & ſextum viguit, dubitare nos non ſinunt ſculpturae e veterum Chriſtianorum antiquis Vrbis Coemeteriis depromtae, & picturae muſivi operis, quae a praeclaris Romae Subterraneae Illuſtratoribus, & a Ciampinio in lucem editae ſpectantur. Mox illud obtinuit, ut in CRVCE ipſa Salvator noſter ſtans tunica, & pallio amictus, capite ornato nimbo, elevatis ad caelum orantium ritu manibus, non tanquam patiens adfixus, ſed in maieſtate quaſi imperans, ac plane glorioſus exhiberetur: iuvenili etiam vultu expreſſus, ut non ſolum Humanitatem ſuam; verum & Divinitatem oſtenderet. Praeclarum huiuſce CRVCIS, & Imaginis CHRISTI Reparatoris exemplum e Muſeo Ioannis Baptiſtae CASALII, qui protulit in opere ſuo de veter. Chriſtianor. Ritib. Cap. 1I. pag. 3. exhibeo in ſequenti Tabula num. 1. Quatuor illas orbiculares ima-



TOM. III. SYMBOL.

J. Verkruys fc

De

I.

ſim
mi
cti
gin
Inſ
ſim
ſue
bo
ter
tud
tun
vet
dep
cla
pin
tinu
tun
ele
tan
per
etia
ſuar
run
rat
SAL
ſti

ima-

imagines referre arbitror quatuor Evangeliſtas. Quid vero litterae illae ſignificent, me latet. In ea opinione verſatur Caſalius Christi Crvcifixi Imaginem in Crvce exprimi conſueviſſe, labente ſeculo ſeptimo; nam anno dclxxx. ſub Agathone Papa, Conſtantino Pogonato imperante, in Trullana Synodo (quae Quiniſexta dicitur) Canone lxxxii. Tom. vii. Concil. decretum fuit, ut loco figurae Agni, pingeretur in Crvce Christvs in figura hominis, dator gratiarum, uti ex verbis eiusdem Canonis colligitur: *Nos igitur veteres figuras, atque umbras, ut veritatis notas, & ſigna Eccleſiae tradita complectentes, gratiam, & veritatem anteponimus &c. Vt ergo id, quod perfectum eſt, in picturis etiam omnium oculis ſubiiciamus*, Agnvm *illum, qui mundi peccatum tollit,* Christvm *Deum noſtrum, loco veteris* Agni, hvmana forma *poſthac exprimendum decrevimus*. Eximius Praeſul Bottarius contra nonnullorum opinationes, qui idcirco hanc Synodum non ſuſceptam ab Eccleſia dixerunt, & refellere conati ſunt, uti Vener. Baronius teſtatur Tom. viii. an. 680. & 692. nil reprehenſibile in eo Canone contineri putat, praecipue quum ad eum probandum adcedat Epiſtola Hadriani I. ad Tharaſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, e qua pauca haec excerpta ſilentio praetereunda minime heic ſunt. *In ſextae Synodi divine, & legaliter praedicatis Canonibus recipitur pictura illa veneranda, in qua* Agnvs, *digito Praecurſoris demonſtratus, graphice eſt inſculptus; qui in typum gratiae aſſumptus, verum nobis per legem* Agnvm, *nempe* Christvm Devm, *indicat. Veteres igitur typos, figuras, & umbras, tanquam veritatis ſigna, & notas Eccleſiae traditas, ſuſcipientes, gratiam, & veritatem agno-*

agnoſcimus, tanquam legis plenitudinem hanc arbitrantes. Vt igitur in colorum effectibus omnium oculis ſubiiciatur figura illa, quae Agnvm *illum, qui abſtulit peccata mundi, nimirum Deum noſtrum iuxta humanam effigiem delineat, cenſemus ab hoc tempore pro veteri illo* Agno; *& novum in Eccleſiis Dei erigendum, quo per eum exaltationis humilitatis Verbi Dei conſideremus*. Exſtat apud Cl. Ciampinium alterum monumentum, quo auſpice colligimus Crvcifixi Imaginem ſeculo ſeptimo labente, vel ineunte octavo in Eccleſiis propoſitam fuiſſe. Siquidem idem Auctor in Par. II. Veter. Monum. Cap. xvi. Tabula xxxii. exhibet muſivo opere expreſſam picturam, qua Theodorus I. Pontifex Maximus, cui Hadrianus ſucceſſit, floruitque anno dcxlii. condecoravit Eccleſiam S. Stephani in Monte Coelio Vrbis, in qua Crvx gemmata in medio poſita eſt inter imagines Sanctorum Primi, & Feliciani, cuius vertici parvam inter peripheriam Salvatoris Imago impoſita eſt; ſupra vero hanc ipſam Imaginem picta cernitur manus, velut e Caelo ſidereo proſiliens, coronam aeternae vitae praemium credentibus oblatum tenens. Igitur memorato ſeculo nondum obtinuerat, ut Christi Imago quatuor clavis ſuſpenſa in Crvce adoranda Fidelibus exponeretur. In eburnea Tabula Sanctae Crvcis, quae in Cortonenſi Baſilica adſervatur ſculpta eſt Christi Domini protoma, & poſt eius humeros Crvx adparet. Christvs in his monumentis, ut etiam in numis Auguſtorum cernitur, dextra benedicit, & Codicem Evangelii ſui tenet. Sed ipſa Christi Imago, capite ornato nimbo, cum auguſto, ac venerabili Crvcis Signo, tunc ipſum Christvm Crvci adfixum indicabat, quod etiam de Agno adfirmavimus.

Mul-

Multa obſervatu digna de Nimbo Crucigero Salvatoris obſervat Praeclariſſimus Franciſcus Eques Victorius Par. I. in Num. Aer. Veter. Chriſtianor. Cap. xxxix. Crvcifixi Imaginem in Diptychis primum expreſſam, atque ex his initium habuiſſe morem exponendi in Altaribus, plura, quae ibidem praelaudatus Victorius adnotat, ſuadent. Nec tantum cernimus Crvcem pictam, ſculptamque poſt humeros, & caput Iesv Christi Redemptoris noſtri; verum etiam in eius pectore: quam conſuetudinem, ut ſupra diximus Iuſtinus, & alii Imperatores Auguſti obſervarunt. Picturam Coemeterii veterum Chriſtianorum, detecti in Via Appia, adfert Cl. Boldettius Lib. iI. Cap. xviii. quam ipſe vidit, in qua medius inter Mariam Virginem, & S. Smaragdum exhibetur Christvs ornato capite nimbo Crucigero, gemmis diſtincto, & in pectore Crvcem gerit, quam videat eruditus Lector.

iI. Ex his illud etiam elicio, ſculptam integra forma, & opere Christi Crvcifixi Imaginem ſerius introductam fuiſſe, Id vero antequam fieret, primum, ut mihi videtur, pingi, vel graphice lineari caelatura inſculpi coepit, cui mox exſtans ſculptura ſucceſſit. Ornant meum Muſeum Crvces duae Stationales ex aere, antiquitus auro contectae, quarum una caret Imagine Domini Iesv Crvcifixi, ornaturque tantum in quatuor extremitatibus typicis Evangeliſtarum figuris; altera vero Imaginem praefert Christi in Crvce quatuor clavis adfixi, adiectis iisdem Evangeliſtarum ſymbolicis Iconibus, quae lineari caelatura in ea ſculptae ſunt. In averſa parte Crvx pura, & ſimplex efficta eſt, e qua pendet corona, aeternae vitae ſymbolum. Sequutis ſeculis, nem-

pe

pe xi. vel xii. ſeculo eidem Imagini Crucifixi, ut diximus, ſtylo, ſeu viriculo antiquitus caelatae, ſuperpoſita fuit alia Crucifixi Imago, integro exſtantique opere abſoluta, ex aere pariter inaurato; cuius pedes hinc inde diſpoſiti ſingulis clavis ſubpedaneo adfixi ſunt; quod cognovi eadem Imagine ſubmota, quae antiquiori adfixa erat. Haec, quae ipſe comperi, anſam opinandi dedere, ceteris longe eſſe antiquiſſimas Crucifixi Imagines graphio caelatas, vel pictas, ut ea, quae in Roma Subterr. adfertur apud Aringhium, in Tabula iI. Cubiculi unici Coemeterii S. Iulii Papae, ſeu Sancti Valentini, Via Flaminia, quam vide Tom. iI. Lib. iv. Cap. xlii. pag. 355. quae tamen ad ſequiora ſecula, nempe, ut ſupra diximus medii temporis, referenda videtur. Siquidem Christus Dominus in Cruce quatuor clavis fixus talari tunica amictus eſt, medius inter Matrem, & dilectum Ioannem. Videtur circa ſeptimum ſeculum obtinuiſſe morem illum, ut Christi in Cruce patientis corpus tunica veſte, interdum etiam fimbriata, & ornata amictum exhiberetur; qui mos ab Orientalibus ſuſceptus videtur; deducique poteſt ex variis Ieſu Crucifixi picturis ex Oriente in Italiam delatis, atque ex pictura Evangeliſtarii Syriaci, quod exaratum eſt Christi ſeculo vi. labente, quam una cum reliquis pictis Tabulis eiuſdem Codicis nuper evulgavi. Adcedit etiam Menologii Baſiliani iam editi auctoritas, quod adeat Lector. De his Crucifixi Imaginibus longiori veſte ad talos demiſſa, atque etiam non raro aureis fimbriis ornata, plura, ſi cupis, conſule Gretſerum de Cruce Lib. iI. Cap. iiI. & nuper editam Diſſertationem V. Cl. Sebaſtiani Pauli, Congr. Matris Dei, de Patena argentea Forocornelienſi §. v. pagina 175. & ſeq. iiI. Sed

iiI. Sed his, quae expendenda propoſuimus, de initio expoſitionis Imaginis Crvcifixi in Eccleſiis, obſtare videtur Lactantii Firmiani auctoritas, quam praelaudatus Doctiſſimus Gretſerus de Crvce Lib. i. Cap. iiI. amplectitur, ut probet non modo rebus Chriſtianorum pacatis ſub Conſtantino, ſed etiam turbatis adhuc, Christi Imaginem aliquando Crvcibvs adiunctam fuiſſe. Adferuntur ab eo e Carmine Lactantii *de Paſſione Domini* verſus, quibus ita Iesvs Crvci adfixus Fideles Templum ingredientes adloquitur:

Quiſquis ades, mediique ſubis in limina templi,
Siſte parum, inſontemque tuo pro crimine paſſum
Reſpice me: me conde animo, me in pectore ſerva
&c.

Quamvis, Hieronymo auctore, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, habeamus Lactantium poëſi ſe quoque dediſſe; multa tamen evincunt ab eius genuinis ſcriptis hoc Carmen *de Paſſione Domini* expungendum eſſe, cuius Auctor incertus eſt, planeque Lactantii foetum eſſe non poſſe cenſetur. Cauſas, cur ei adſcribendum non ſit, profert Egregius Chriſtophorus Auguſtus Heumannus in *Poeciles* Tom. iiI. Lib. iI. pag. 225. & ſeq. ad quem Lectores ablego; idemque adfirmatur in nupera elegantiſſima omnium Lactantii Operum editione, Gottingae ann. 1736. pag. 1043. ubi idem Carmen, ſed *incerti Auctoris* eſſe ſcribitur, adfertur, & Notis illuſtratur. Verum ſi quis omnino velit Lactantio tribuere, probabile eſſe mhi concedat, Carmen illud a Scriptore poſterioris aevi ſuppletum, & ſubſarcinatum fuiſſe; adeoque poſt primum verſum,

ſum, illum, qui ſequitur numero 50. adnectendum eſſe; unde & ſenſus bene cohaeret, & qui inde ſequuntur verſus elegantiorem, ac politiorem ſtilum Lactantio dignum redolent, in hunc plane modum:

Quiſquis ades, mediique ſubis in limina templi,

Flecte genu, Lignvmqve Crvcis *venerabile adora*, &c.

*Flebilis*__________________

Qui adcurate intruſos verſus cum reliquis conferre voluerit, videbit, quantum a reliquis differant plane politiſſimis, nec pinguem barbariem redolentibus. Praeterea verſus illi additi, in quibus Christvs in Crvce adfixus loquitur, maxime recedunt, & alieni ſunt a priſco Eccleſiae ritu, in qua quarto praeſertim ſeculo Crvx Dominica, vel Agnvs ſub Crvce, vel in Ara tanquam occiſus, non vero humana ſpecie ſuſpenſus, & clavis ſuffixus Fidelium adorationi exponi ſolebat; nam ipſi Fideles Crvcem ſpectantes, & colentes, ipſum Crvcifixvm mente ſtatim recogitabant. Non deſunt etiam alii Scriptores, qui longe vetuſtiores volunt Crvcifixi Imagines, & adferunt loca Sanctorum Patrum, praeſertim Tertulliani, quae quum obſcura interdum ſint, haud mirum, ſi & iidem Interpretes, dum explicant, quae non intelligunt, hallucinentur. Illud doctis Viris, qui aeternam Vrbem hodie mirifice ornant, & ſcriptis illuſtrant, expendendum relinquo, quod ex vetere traditione Franciſcus Maria Torrigius Romanus, in libro inſcripto: *Li Sacri Trofei Romani* Cap. xv. pag. 96. atque ex Pancirolo, & monumentis ſacrae luſtrationis Eccleſiae S. Mariae Tranſtiberim memorat, quod in ea ex-

exſtet: *Imago Sanctiſſimi* Crvcifixi, *quae Sanctos Apoſtolos* (Petrum, & Paulum) *dum flagellarentur, adloquuta eſt*.

IV. Illud etiam pluribus inſpectis antiquis monumentis obſervavi, Iesvm Crhistvm in Crvce ſuſpenſum, non tanquam mortuum clauſis oculis, ſed tanquam vivum iiſdem apertis, ac paene loquentem primum expreſſum fuiſſe. Serius, ut coniicio, mos invaluit, ut caput eius ſpinis coronatum exhiberetur. Nam in non paucis, quas vidi, & nonnullae quae apud me exſtant picturae, & ſculpturae, quae circa ſeculum xiii. & xiv. factae videntur, in his Iesv Crvcifixi Domini Noſtri caput ſpinea corona circumdatum non conſpicitur. Iam ſuperius adnotavi eius oculos in ſculpturis e gemmis repoſitos eſſe. Antequam vero Crvcifixi Imagines in Eccleſiis, in Altari, ac ſacra Menſa exponi coeperunt, Sanctiſſimos Antiſtites praeparaſſe, ac diſpoſuiſſe Fideles crediderim, dum apud eos concionarentur, ne ab eius effigie abhorrerent. Id colligo ex Sermonibus S. Maximi Taurinenſis Epiſcopi, qui floruit ſaeculo Chriſtianae Aerae quincto, quem quidem Eruditi non pauci ultra ann. Chr. cccclxv. vixiſſe putant, ut obſervat eximius Mabillonivs Muſei Italici Tom. i. in Praefatione ad eius Homilias pag. 5. & Celeberrimus Mvratorivs, qui eius Sermones in lucem protulit ex Codice Ambroſianae Bibliothecae Tom. v. inter Anecdota. Pauca licet decerpere ex eius Sermonibus de Paſchate, quibus ea, quae iam ſuperius expendenda propoſui, perſpicue confirmari videntur. Sermone vii. haec habet: *Auctor itaque vitae noſtra conditione eſt mortuus, ut nos illius privilegio viveremus*. Crvcifixvs *ergo eſt Dei Filius, non ut* Crvx

Christvm *foedaret*, *ſed ut Sacramento* Christi Crvx *noſtrae fieret inſigne victoriae*. *Denique nos omnes*, *qui* Christi *confeſſione gaudemus*, Crvcis *ſignaculo gloriemur*. *Neque vero Chriſtiana quis poteſt militia cenſeri*, *niſi fideli manu Vexillum erexerit* Crvcifixi. *Ob hanc* Crvcis *mortem*, *ſicut legitur*, *exaltavit Omnipotens* Christvm *ſuum*, *Nomenque illi ſuper omne nomen dedit*. *Dedit illi Nomen ſuper omne Nomen*, *cum ditioni*, *poteſtatique eius caeleſtia tradidit*, *Mundum*, *& Inferna ſubiecit*, *ut ait ipſe Salvator*. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo in caelo*, *& in terra*. Et in Sermone ix. de Paſchate: *Rident Gentes quod*, *Crucifixus eſt Criſtus*, *non intendentes*, *quia per Crucem illius mundus intremuit*, *etc. & nos veneremur* Crvcifixvm, *ut mereamur eum videre Regnantem*. *Elegit enim mori*, *non ut illum ſibi vindicaret Infernus*, *ſed ut mortuos a mortuis liberaret*. Plura hic adferri poſſent de cultu, atque adoratione Imaginis, Vultus, & Iconis Christi Salvatoris, in Eccleſia tum Orientali, tum Occidentali, ſi alia obſervanda non ſupereſſent. Complura adferunt exempla praelaudati praeſtantiſſimi Praeſules Georgivs loco citato, & Bottarivs in Tomo II. Romae Subterraneae.

V. Illud breviter notandum, nec ſilentio praetereundum videtur, quod quemadmodum primaevi Chriſtiani Sacratiſſimum Christi Monogramma exaltare, ac ſublimiore in loco, veluti in throno, & maieſtatis ſede extollere conſueverunt; ita etiam Crvcem Domini omnibus divinis honoribus adfecerunt, ac in faſtigiis Eccleſiarum, & Arcuum Triumphalium, ſupra Altaria extulerunt, atque elevarunt, ut omnes adſpicientes praeſentiſſi-

tiſſimum ſalutis, vitae, & pacis aeternae praeſi-dium, & adverſus tartareos hoſtes ſcutum inex-pugnabile obtinerent. Sancti Patres, ut oſtende-rent quantae dignitatis, & gloriae eſſet CRV-CEM gerere, & ſalutare, hoc Signum ubique adhi-buere: illud in CHRISTI vertice, in eius nimbo, ſive diademate, & quidem rutilantibus gemmis diſtinctum, in eius pectore, in manibus, iiſdem etiam velatis ab eo teneri voluerunt, exprimendum-que curarunt. Nullum in Eccleſia myſterium, nul-lum Sacramentum, nullum vas, nullae veſtes, nullus ornatus ſine CRVCE, & ipſi Eccleſiarum parietes, fa-ſtigia ianuarum ingreſſus CRVCE inſigniti, ac decorati, ubique in vetuſtis iam editis monumentis ſpectan-tur, & apud Scriptores memorantur. Frequenter etiam in vetuſtis primorum Chriſtianorum ſepul-cris cernitur Panis Euchariſticus Cruce ſignatus ⊕ in hunc modum: quo ſymbolo Eccleſiae Fidelium unitas, unum Baptiſma, communio Sanctorum, una-que Fides mentium, & pietas actionum hoc Vni-tatis ineffabili Sacramento, ut mihi veriſimile eſt, deſignatur. Inde mos, praeſertim ex eo tempo-re, quo Sanctiſſima Domini CRVX inventa eſt an-no CCCXXVI. obtinuit, ut maxima cum pompa in ſupplicationibus cum candelabris, cereis, & fa[illegible]-bus deferretur, & quotannis etiam balſamo inun-geretur. Praeclarum huius ritus teſtimonium af-fert Celeb. Mabillonius ex Libro Ioannis Diaco-ni *de Eccleſia Lateranenſi*, in Appendice Ordinis Romani num. XIV. pag. 572. in Tomo II. Mu[illegible] Italici; quod arbitror Lectori Hagiophilo perg[illegible]-tum fore, ſi adferam: *In Sacro Palatio eſt qu[illegible]dam S. Laurentii Oratorium, in quo tria ſan[illegible] ſima computantur Altaria. Primum in arca c[illegible] preſſina, quam Leo Papa* III. *condidit, tres [illegible]*

pſae ſunt . In una eſt Crux *de auro puriſſimo adornata gemmis , & lapidibus pretioſis , id eſt , hyacinthis , & ſmaragdis , & praſinis . In media* Cruce *eſt umbilicus Domini Noſtri* Iesu Christi : *& deſuper eſt inuncta balſamo , & ſingulis annis eadem unctio renovatur , quando Dominus Papa cum Cardinalibus facit Proceſſionem in Exaltatione Sanctae* Crucis *ab ipſa Eccleſia Sancti Laurentii in Baſilicam Salvatoris , quae adpellatur Conſtantiniana . Et in alia capſa argentea , & deaurata cum hiſtoriis eſt* Crux *de ſmalto depicta , & intra capſam illam eſt* Crux *Domini Noſtri* Iesu Christi : *& in tertia capſa , quae eſt argentea , ſunt ſandalia , ideſt calceamenta Domini Noſtri* Iesu Christi . *Eſt iterum ibi alia capſa deaurata , ubi eſt de Ligno illo Sanctae* Crucis, *quam Eraclius devicto Chosroë ſecum tulit de Perſide &c.* Exſtat in meo Muſeo , paucis ab hinc menſibus adquiſita arcula lamellis aereis inauratis tecta , picturis encauſticis , ſacriſque Imaginibus Christi Crucifixi quatuor cum clavis , & Evangeliſtarum ſacris ſymbolicis Animalibus undique ornata, quam alibi proferam , quum de Hierothecis Eccleſiae vetuſtis erit ſermo , in qua pretioſae Crucis vivificum Lignum cum Sanctorum Lipſanis reconditum fuiſſe adparet ; nam in dextro latere oſtiolum eſt, quod aperitur , & clavi etiam clauditur .

VI. Haec & alia pervetuſta Monumenra , praeſertim vero Diptycha ex ebore , in quibus Chriſti Paſſio , idemque Crucifixus exſtanti parumper opere ſculptus eſt , anſam mihi opinandi dederunt , Christi Crucifixi Imagines non fuiſſe primitus ex integro anaglypho opere fabrefactas , ſed in Crucibus

vel

vel aureis vel argenteis, vel etiam ex aere inaurato, lineari dumtaxat caelatura, ut vulgo dicimus *di graffito*, expreſſas fuiſſe; quod etiam ſuperius animadvertebam. His, ligneis in Crucibus ſuccedunt picturae, in quibus ad vivum coloribus expreſſus cernitur Redemptor noſter in patibulo ſuſpenſus, capite ornato nimbo inaurato, & non parum a Crucis planitie promittente atque elevato, velatis poſt umbiculum ad genua uſque prolixiore panno pudendis. & utroque femore, manibus pedibuſque ſingulis perforatis, cuius aliquot Icones adhuc Florentiae ſpectantur, & ſaeculo tum X. XI. & XII. pictae creduntur, qualis illa Crvcifixi Imago, quae Sanctiſſimo viro Ioanni Gvalberto caput flexit, ut veniam ab eo hoſti datam die Paraſceves probaret, de qua non pauca notatu digna adtuli in Tom. III. Inſcriptionum ant. Etruriae Vrbium pag. 345. quemadmodum etiam & altera eidem paene ſimilis, quae in meis aedibus ſpectatur, quam olim fuiſſe cultam in Florentina Cathedrali Eccleſia ex inventis nuper documentis mihi conſtat. Hanc neglectam ab antiquitatem, & ſqualore obſitam mihi petenti dono dedit Illuſtriſs. Aemilius Eques Lucius, quaeque ex Domo Aedilium eiuſdem Eccleſiae apud me migravit. Exſtant etiam in Muſeo meo duae ex aere Cruces Stationales, quarum altera, quatuor tantum in utraque parte orbiculis ſive clypeolis ornata eſt, & in his caelatae ſunt Imagines ſymbolicae quatuor Evangeliſtarum, nec non Angelorum, & Mariae Virginis, & S. Ioannis Ap. & Evang. in altera vero praeter Imagines haſce in Cruce graphio inſcalptus eſt Iesvs Crvcifixvs. Sequioribus ſaeculis facile ſaeculo XIII. & XIV. ſuper hanc ipſam Imaginem adpoſitus fuit integro opere anaglypho Do-

minus noſter Crvcifixvs, qui ex ea a me abſtractus apud me ſeorſim ſervatur. Haec memorare non abs re viſum eſt, ut probarem SS. Patrum auctoritatibus, & Monumentis ipſis, ſenſim in Eccleſia apud Fideles introductam fuiſſe Crvcifixi Imaginem, quum apud primaevos Chriſtianos Paſtor Bonus, Agnus Immaculatus, Crux ipſa ſimplex & nuda, mox gemmis pretioſiſſimis, coronis, floribus, columbis, et palmis ornata, rubro colore tincta, uti ſuperius oſtendimus, totius mundi Redemptorem in Cruce ſuſpenſum, & pro noſtra ſalute paſſum, ac mortuum referret.

VII. Sed hoc in loco, ubi agendum ſupereſt de publica, ac ſolemni Iesv Christi Crvcifixi in Eccleſiis expoſitione, & adoratione, illud obſervandum eſt, primum Redemptoris Imaginem in Cruce ſuſpenſi propoſitam fuiſſe Fidelibus adorandam non in humilibus, ſed in auguſtioribus Baſilicarum locis, nempe in triumphalibus Arcubus, in Abſidibus, in Tibunalibus, in Thronis, in faſtigiis, ac magnificis ſedibus, atque in vertice Ciboriorum. Ciboria columnis quatuor ſuſtinebantur: inter has vero poſitae erant tranſverſae virgae ferreae cum catenulis, e quibus vela & cortinae pendebant, quibus Altare circumdabatur, et obumbrabatur. Huiuſmodi catenularum reliquiae in vetuſtioribus Vrbis Baſilicis a doctis Viris obſervatae ſunt, praeſertim ad Altare S. Mariae in Coſmedin; ſed Ciboria omnium vetuſtiſſima, de quibus luculenter agit Praeſtantiſſimus Praeſul Bottarivs in Roma ſubterranea, Tom. I. pag. 210. paullatim ac ſenſim ſequioribus ſaeculis in deſuetudinem abiere. In Vitis Pontificum Tom. I. pag. 388. a Celeberrimo Praeſule Blanchinio editis, et inluſtra-

luſtratis, haec ad rem noſtram de Leone III. qui électus eſt Pontifex Maximus anno Chriſti dcccxlvii. memorantur: *Ipſe autem a Deo protectus, venerabilis, & almiſicus Pontifex, fecit in Baſilica B. Petri Apoſtoli nutritoris ſui*, in Medio Basilicae, *Crucifixum ex argento puriſſimo, penſantem libras ſeptuaginta & duas*. Alteram Crvcifixi Imaginem ex argento fecit in Baſilica D. Pauli. Sacras Imagines obiter adnotare lubet etiam ex cera pictas, ex auctoritate S. Ioannis Chryſoſtomi, quam adfert Epiphanius Diaconus in VII. Synodo: *Ego ex cera fuſam amo picturam pietatis ergo factam*. Haec circa tempora mos inolevit, duravitque uſque etiam ad ſequiora, ac fere ad aetatem noſtram, ut veneranda Chriſti Myſteria, Geſta, Vita, Paſſio, Reſurrectio, in caelum Aſcenſio, in ſacris veſtibus acu, vel textili opere, adiectis pretioſis gemmis ac margaritis, pingerentur, atque tum in iiſdem ſacerdotalibus veſtibus, tum etiam in velis Altarium Hiſtoriae ex veteri, ac novo Teſtamento deſumtae, & Imagines, & geſta Sanctorum exprimerentur, eodemque fere tempore non tantum in veſtibus ſacris verum etiam in ianuis, & valvis aheneis Eccleſiarum, quarum iconas exhibet Ciampinius, & Florentiae & Piſis non pauca exempla, quae adhuc perennant, ſpectantur. De his frequens mentio in Pontificum Vitis penes Clariſſimos Praeſules Blanchinium & Vignolium, & apud Cl. Praeſulem Georgium in praelaro Opere de Liturgia Pontificis Maximi, ubi praeſertim de Sacris Pontificalibus Veſtibus agitur, atque etiam apud Boldettium, & alios veterum Sacrorum Monumentorum & Liturgiarum Interpretes. Primum vero Crvces Sacrarum dumtaxat Veſtium ornamenta fuere, quae

etiam

etiam in toto Pontificis Maximi ſacro amictu adhuc retinentur, ipſique Reges ac Reginae cruciferis veſtibus induti in publicum procedere maxime gloriati ſunt, ut ſupra monebam pag. 163. Frequens ſpectatur Signi adorandae Crucis uſus in Eccleſiis; & adhuc ab ipſa earum dedicatione ſculptae vel pictae ex rubro colore Cruces Dominicae in parietibus exhibentur, & quidem aurea corona, vel picto circulo coronatae, quod e divinis myſteriis apud nos aeternae ſalutis, ac vitae ſymbolum ſint, docente Iuſtino Martyre in fine Apologiae ad Antoninum Auguſtum, quem vide, atque una etiam teſte Rufino, Socrate, & Sozomeno, quos citat Palaeotus de Sacra Sindone num. 11. & Gretſerus Lib. I. de Cruce Cap. 51. Cruci ſacra emblemata, & Hiſtoriae ſucceſſerunt. Sed de his ſatis. S. Leo IV. ornamentis pretioſis Crucem exhibentem Christum Crucifixum ornavit, ut conſtat ex praelaudato Blanchiniano Opere de Vitis Pontificum: *Fecit etiam idem Beatiſſimus Praeſes poſt depredationem Saracenorum in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli* Crucifixum *mirae magnitudinis, conſtructum cum gemmis hyacinthinis, de argento puriſſimo deauratum, penſantem libras ſeptuaginta, & alias gemmas albas ſeptem* (forte legendum *alabandinas*) *maiorem unam*. Demum, quae de Sergio III. Pontifice Maximo memorantur ab Ioanne Diacono Libro de Eccleſia Lateranenſi penes Mabillonium in Appendice Ordinis Romani pag. 575. ſilentio praetereunda non ſunt. *Fecit* (inquit) *in Baſilica Sancti Salvatoris Crucem auratam cum* Crucifixo: *argenteas duas, unam habentem* Crucifixum *totum de auro, &* Agnum *de auro cum gemmis. Cruces argenteas IV. in quibus gravatae* (grabatae) *pendent*. Divini Agni, quae

hoc

hoc loci ſit mentio, opportune me admonet, ut heic non tantum obſervem, & repetam myſticam eius cum Crvcifixo Domino unionem, eiuſdemque myſterii divinae Paſſionis, & humani generis Redemptionis ſignificationem; verum etiam & Incarnationis, & Reſurretionis eum typum fuiſſe, quod teſtatur perſpicue Prudentius Hymno III. Cathemer. ac praecipue S. Zeno Veronenſium Antiſtes Lib II. Tract. LXII. de Exodo IX. *Cum haec ita ſint, a quibus, quomodo, unde Paſcha celebratur? Adde quod* Agnvm *legitimum ſuo vitio, quem invenerant, perdiderunt: quem Scriptura deſignabat ex ovibus & haedis: ex haedis utique, propter peccatricis indumentum carnis; ex ovibus, propter ſpiritum maieſtatis: qui primitivus eſt dictus, quia praeter Patrem ante ipſum nullus eſt primus: maturus, quia aeternus eſt: perfectus, quia Dei virtus Deique ſapientia eſt: immaculatus, quia peccatum non habet ſolus: ſalutaris, quia mortem mutavit in vitam: propter nos qui eſt occiſus, & vivit: ſepultus, & reſurrexit: homo aeſtimatus eſt, & inventus eſt Deus glorioſus in ſaecula ſaeculorum. Si Iudaei vacuatae imaginis recordatione gloriantur, quanto magis Chriſtianus, in quo* non est figvra, sed veritas? Eadem fere repetit ſuperius Lib. II. Tract. LV. de Exodo II. ad quae loca vide Clariſſimos Interpretes Ballerinios, & Franciſcum Sparaverium.

VIII. Sed plane anguſtiorum ſedium, in quibus Crvcifixi Redemptoris Imago Fidelium adorationi exponebatur, ad hanc uſque aetatem perdurat exemplum celeberrimum, & notatu dignum in Baſilica Baptiſterii Florentini, ubi in Octava Epiphaniae Domini, & in Feſto Nativitatis S. Ioannis Baptiſtae in medio eiuſdem Baſilicae ſuper ar-

gen-

genteum Altare, de quo ſupra Cap. II. num. v. nonnulla adnotabam, peralto Tabulato aulaeis ornato impoſitum, auguſtiſſima Crvx ex argento cum Crvcifixo Domino mirae magnitudinis, & immenſi perelegantis operis, cum parvis ſignis, Sanctos viros referentibus, ſtatuitur, ut ab omnibus adoretur; ne quid dicam de reliquis pretioſis ornamentis, quae in eodem perinſigni argenteo Altari anaglyphis ex argento Hiſtoriam S. Ioannis Baptiſtae exibentibus ornato, publicae oſtenſioni exponuntur. Tanti aeſtimatum eſt hoc admirandum opus, ut a Florentina Republica ſummo belli diſcrimine vexata, ingenti pecunia oppignoratum fuiſſe conſtet ex noſtrorum Hiſtoricorum Monumentis, de quibus alibi ſermo erit. Nec dubito hunc ipſum ſacratiſſimum ritum exponendi in medio Baſilicarum Crvcifixi Imaginem in thronis, atque in ſublimibus faſtigiis, vel in Altaribus ornatiſſimis, apud alias Europae Eccleſias adhuc vigere; qui ritus a primitivis Chriſtianis acceptus eſt, qui Crucem, ut oſtendimus, eminentioribus in locis exaltare conſueverunt: quare ſolemnis fuit penes Orientis Eccleſias, & apud Graecos Crucem adorandam exponere in IV. Dominica magni Ieiunii, quod apud Eccleſias Occidentis Feria VI. in Paraſceve obtinuit; quia ea die Redemptor noſter *operatus eſt ſalutem in medio terrae*. Quod vero a primis ipſis Chriſtianae Religionis ſaeculis, ut oſtendimus, ante conſpectum Fidelium, non Crvcifixi Imago, ſed ſola nuda Crvx exponeretur, colligi etiam poteſt ex priſco ac ſolemni ritu in Feria VI. in Paraſceve in omnibus Eccleſiis uſurpato, qua Crvx Dominica velo contecta ter oſtenſa, et ab Antiſtite, ſive Cleri Principe ab imo gradu in terrae planitie per alios

duos

duos Altaris gradus aſcendente: ad ſingulas oſtenſiones et adorationes elevatur, et exaltatur: quae mox ab omnibus utroque genu flexo adoratur tum ab Eccleſiaſticis, tum a Saecularibus, atque etiam hnumillima devotione oſculatur: poſtquam cantatum eſt: *Ecce* Lignvm Crvcis, *in quo Salus mundi pependit*: *Venite adoremus*.

IX. Saevientibus impiis Chriſtianae pietatis hoſtibus Iconoclaſtis, & Crvcem Dominicam & Crvcifixi Imaginem ex Eccleſiis auferre ac diripere conantibus, ſacra Diptycha in uſu fuere, quae dum peragеretur in Altari divinum Myſterium, exponebantur; mox eo peracto, in Sacrario diligenti cura recondebantur. In his praeſertim ex ebore Diptychis, vel etiam pictis plicatilibus Tabulis, adiectis antiquis hiſtoriis ad eius vitam, mortem, et gloriam pertinentibus, Crvcifixi Imago exhibetur. Petrus Cluniacenſis, qui floruit ſaeculo X. ubi Petrobuſianorum errores refellit, de iiſdem haec ſcribit: *Poſt Baptiſmum negatum, poſt Cruces exuſtas, poſt Templa deſtructa, ut nihil ſacrum puniendum veſtra temeritas relinquat; quarto iam loco ad ipſum* Crvcifixvm, *& Templorum Dominum, & Baptiſmi largitorem ſe extendit: & non tantum, quae eius ſunt, ſed & ipſum Eccleſiae ſuae auferre molitur*. Hinc penes non paucas Galliarum Eccleſias mos obtinuit non exponere in Altari Crucifixum Dominum noſtrum, & ad haec uſque tempora ſervatur. Carthuſiani & Dominicani Monachi, qui prae ceteris antiquorum rituum tenaciores fuerunt, quod ſacrum Myſterium peragentes non eant ad Altaris medium, ut dicant *Kyrie eleeiſon etc.* Claudius de Vort inde id ortum opinatur, quod olim in Altari vetuſtiſſima-

rum

rum Baſilicarum haud expoſita eſt Christi Crvcifixi Imago, ad quem ſacrum iſtud τρισάγιον dirigebatur. Secutis temporibus invaluit, ut Crvcifixvs initio recitationis Canonis adlatus publicae adorationi exponeretur, ut hodie fit apud eaſdem Eccleſias: qui in medio Altaris tamdiu retinetur, donec totus Canon abſolvatur, vel uſque ad exactam Panis & Vini conſecrationem, ut ſalvificae Iesv Christi Paſſionis memoria altius Fidelium mentibus, & cordibus infigatur, quod & in Miſſa declaratur: *Haec quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis:* atque iuxta illud Pauli Apoſtoli: *Quotieſcumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, Mortem Domini annuntiabitis etc.* Aeditui vero Eccleſiarum ac Presbyteri, vel Diaconi, ut ab eo onere vacarent, nempe, ne ad quodlibet Sacrum adferrent Diptycha, ſeu pictas plicatiles Tabulas, vel Crvcifixi Redemptoris Imaginem, ſenſim poſthabita hac cura, perpetuo manſuram eandem Imaginem in Altaribus ſtatuerunt. Veteres Liturgiae decernunt, ut Quadrageſimali tempore ex Altari *cuncta auferantur ornamenta, Cruces, Imagines etc. quae vero auferri nequeunt, velentur*. Nunc vero aqud quaſdam antiquiores Galliarum Eccleſias ad Altare adfertur velum vel nigri, vel violacei coloris, in quo pictus eſt Dominus Iesvs in Cruce ſuſpenſus: & quia oblivione & temporum vario curſu ſenſim ſive recedunt, ſive non expenduntur verae ſacrarum rituum ac caerimoniarum rationes, in nonnullis Eccleſiis ratio huius moris ignoratur: quapropter in quibuſdam Eccleſiis velum picturis vacuum adfertur, & Diaconus Crvcifixi integro opere exſtantem Imaginem ad Altare adfert. In aliis quibuſdam Eccleſiis velo tectus Crucifixus in Sacra Synaxi exponitur,

nitur, & in ipſa actione, vel conſecratione detegitur. Dum haec ſcribo de Crvce, & Crvcifixi Imagine, optime video me plane inopem a divite copia factum fuiſſe. Alii poſt me doctiora, et luculentiora praeſtabunt; mihi vero humaniſſime veniam ipſi dabunt, qui multis diſtractus atque diſturbatus curis pauca haec, ut mei Commentarii ſcopo intervirem, in medium adtuli.

CAPVT X.

In Ligno *Sanctiſſimae* Crvcis, *quod in Theſauro Baptiſterii Florentini adſervatur*, Iesvs Christvs Crvcifixvs *cur* Capite Mitrato *ſculptus*, *inquiritur*, *&* *expenditur*.

I. HIS haud inutili, ni fallor, labore, expenſis, revertor ad praecipuum huiuſce mei Commentarioli argumentum, ad expendendum videlicet inluſtrandumque Mitratvm Crvcifixi Capvt, quod non ſine ratione, & myſterio a ſacro Caelatore, &, ut ſimile vero eſt, non ſine Sanctorum aliquot Patrum, ſive alicuius Eccleſiae Antiſtitis praeſcrptione & iuſſu, & quidem praevio alio aliquo exemplo factum arbitramur, uti ſuperius Cap. II. iam diximus. Quod enim in vitali Sacroſanctae Crvcis Ligno apud Orientales mos aliquando fuerit Chriſtum in Cruce ſuſpenſum, additis etiam Sanctorum Imaginibus, inſculpere, teſtatur, & docet praeter alia iam expoſita exempla, ea pretioſiſſima atque inſignis Vivifici Ligni Sanctae Crvcis particula, quae Romae adſervatur, & viſitur in Sacrario Apoſtolico, quam eidem Praefectus Fr. Angelus Rocca primus omnium adtulit, & Commen-

mentario ſuo inluſtravit, de qua pariter ſupra ſermo habetur in §. IV. Cap. IV. Illud vero notandum, quod lamellam auream, ſchedulae inſtar, compendiariis hiſce notis inſignitam, ✠ IS. XS. hoc eſt: *Ieſus Chriſtus*, poſteriori aevo additam, & ab Italo artifice ſcriptam fuiſſe exiſtimamus. Hinc coniecturae locus, ut ſubſpicer, & hanc inſignem Sanctiſſimi Ligni Crucis Chriſti portiunculam, quae in Florentino Baptiſterio colitur, ex Hieroſolimis, vel ex aliqua Orientis Eccleſia prolatam fuiſſe, & dono datam Carolo Magno Auguſto, a quo Maiores noſtri, non tantum eius praeſentia, verum etiam liberalitate ornati, acceperunt, quod ex eorum traditione, atque ex adlatis ſuperius Inſcriptionibus in vetuſtis Thecis inſculptis didicimus. Quia vero Redemptor noſter in noſtra Crvce ſine barba effictus eſt, & ſine capillis, ſi quis hanc ſculpturam non Graeco, ſed Europaeo Caelatori tribuendam eſſe cenſebit, minime repugnabo; & ſi quis etiam ſculpturam hanc ad aetatem eiuſdem Caroli Magni referre voluerit, & ipſe calculum addam. Habemus iuſſu eiuſdem Caroli Magni Imaginem Chricti ſedentis in throno pictam muſivo opere in tholo Aquiſgranenſis Baſilicae, ab eodem Rege conſtructae circa annum DCCCII. in quo Chriſtus veluti Pontifex in ſolio ſedens ſiniſtra librum tenens, dextera elevata benedicens, talari tunica amictus eſt, cui impoſitum paludamentum rubri coloris, ante pectus gemmata fibula apte nectitur. Nulla in re differt eo Pontificio, ſive Sacerdotali amictu a Pluviali, quod in uſu adhuc eſt. Pictura haec Muſivi Operis adfertur a Cl. Ciampinio Tab. XLI. Par. II. veter. Monum. & pag. 134. luculenter deſcribitur. Quare liquet, eum Christvm Dominvm tanquam ſummum Pontificem, ſum-

mum-

mumque Eccleſiae Sanctae ſuae Sacerdotem divino conſilio exprimendum curaſſe; caelo undique ſtellis diſtincto, ac radiante. Si igitur eiuſdem Caroli Avgvsti iuſſu, Chriſtus Dominus Pontificalibus veſtibus pictus eſt; non erit improbabile & Mitratvm eius Capvt in hoc SS. Crucis Ligno eo iubente ſculptum fuiſſe. Eodem Pontificio paludamento ſive pluviali ornatus ſedet in ſolio Christvs in aeternum Sacerdos, & Pontifex Magnus ſecundum ordinem Melchiſedech, expreſſus in Cruce imaginata Stationali ex argento, quae ſervatur in Eccleſia Lateranenſi, & deſcribitur, atque adfertur a Ciampinio Vet. Mon. Par. II. Tab. XIII. pag. 47. quem vide. Praeterea ſaeculo octavo, nono, & decimo ſummorum Pontificum Romanorum imagines tonſis capillis, & ſine barba in ſacris eius aetatis monumentis exhibentur, & ſpectantur; quod nuper pereruditè in Pontificum perraris Nummis obſervavit V. C. Ioſeph Comes Garampius, Patricius Ariminenſis, in Diſſertatione de Nummo argenteo Benedicti III. P. M. pag. 129. Adcedit Picturarum ex muſivo opere auctoritas, in quibus Leo III. Summus Pontifex vultu imberbi exhibetur apud Nicolaum Alemannum de Lateranenſibus parietinis pag. 10. & 70. & cum eo pictus eſt ea quidem aetate Carolvs Magnvs, qui etiam, ut in fronte Bibliorum, eius iuſſu exaratorum & pictorum, ſine barba, mento raſo, vel detonſo exhibetur. Illud etiam in noſtra, quae in Florentino Baptiſterio exſtat Crvcifixi Imagine, obſervandum eſt, nec in manibus, nec in pedibus, qui ſcamnulo, ſive ſubpedaneo aſſerculo inſiſtunt, adparere clavorum fixuras, nec in latere vulnus. Praeter haec animadverſione plane dignum eſt, Redemptoris Caput Mitra Pontificia ornatum; quod factum vide-

tur, ut Iesvs Christvs iuxta ordinem Melchiſedech non tantum Sacerdos, & Pontifex Magnus deſignetur; verum etiam ut omni gloria, & honore dignus habeatur, colatur, adoretur; quamvis a perfidis Iudeis omni ignominia, omnibuſque opprobriis ſaturatus fuerit; iuxta propheticum illud David Regis de eo oraculum: *Gloria, & honore coronaſti eum, Domine; poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo*.

II. Tertullianus adverſus Iudaeos num. XIV duos Chriſti adventus praenotat, ac diſtinguit: alterum quum humilitatem conditionis humanae ſuſcepit, noviſſimus virorum factus, ignominia hominum & abiectio populi, a Deo percuſſus in paſſione ſua, & inter iniquos reputatus propter iniquitates noſtras: alterum vero quum omnia in eius poteſtate tradidit Pater, conſtituitque eum Iudicem vivorum. Poſt multa haec Tertullianus ſubdit: *Sic & apud Zachariam in perſona ipſius, immo & in ipſius nominis Sacramento, verus ſummus Sacerdos Patris* Christvs Iesvs, *duplici habitu in duos adventus delineatur. Primo ſordidis indutus eſt, ideſt, carnis paſſibilis & mortalis indignitate; quum & Diabolus adverſabatur ei, auctor ſcilicet Iudae traditoris, qui eum etiam poſt baptiſmum tentaverat. Dehinc ſpoliatus priſtinas ſordes, exornatus* PODERE, & Mitra, *&* CIDARI *munda, ideſt ſecundi adventus: quoniam gloriam, & honorem adeptus demonſtratur*. Apertius poſtmodum ſecundum Chriſti adventum oſtendit: *Sed* Iesvs *iſte Chriſtus, Dei Patris* Svmmvs Sacerdos, *qui primo adventu ſuo humana forma & paſſibilis venit in humilitatem uſque ad paſſionem; ipſe etiam effectus hoſtia per omnia pro omnibus nobis, qui poſt reſurrectionem*

ſuam

ſuam indutus podere, SACERDOS *in aeternum Dei Patris nuncupatus eſt*. Nihil ad rem noſtram diſertius Eodem Sacerdotali, ſeu Pontificali amictu ornatus IESVS CHRISTVS Dei Filius S. Ioanni Evangeliſtae adparuit, veſtitus nempe podere Sacerdotali, & zona aurea alte ſuccinctus, ut in eius divina Apocalypſi narratur; ſed quum Tertullianus eum quoque ornatum *Mitra*, *&* *cidari munda* dicat; opinor, non ſolum apud Eçcleſias Orientis, verum & Occidentis quoque morem deinde obtinuiſſe, ut Chriſtus Dominus Cruci adfixus CAPITE MITRATO, vel pictus, vel ſculptus exhiberetur. In Tabula ſuperius edita Cap. IX. p. 172. alterum exemplum num. II. adiecimus, depromtum ex praelaudato opere Ioannis Baptiſtae Caſalii de veter. Chriſtianor. Ritibus Cap. II. pag. 3. nempe alteram CRVCIFIXI MITRATI Imaginem vetuſtiſſimam; qualem etiam oſtendit mitra perparva, atque humilis pileolum referens: cuius quidem formae ſaeculis longe remotioribus in uſu fuit; ſequentibus vero non ſolum auguſtior, atque altior facta eſt, verum etiam ſenſim pretioſis gemmis & margaritis, hiſtoriis, & phrygiis operibus ornari mos fuit. IESV CHRISTO aeterni Patris Filio, vero Deo, & vero Homini, a dextera Dei exaltato, poſtquam in Cruce opprobriis ſaturatus eſt, & vitam ſuam, & ſanguinem pro mundi redemptione dedit, confuſione contemta, tres coronae adtributae ſunt honoris, dignitatis, ac poteſtatis cauſa, *Sacerdotalis*, *Pontificia*, *Regia*, ſive *Regalis*: quia Sacerdos in aeternum ſecundum ordinem Melchiſedech; quia Pontifex Maximus, a quo omnes Pontifices, & Sacerdotes Sacerdotium acceperunt; quia Rex Magnus ex natura etiam & origine, e Sacerdotali, & Regia Stirpe prognatus; *Rex pacificus magnificatus*

tus eſt; cuius imperium ſuper humerum eius; & Gentes in hereditatem accepit. Hinc quum antiquae Crvcifixi Imagines regali corona, & diademate ornatae ſint, ut exemplis aliquot ſuperius indicavimus; convenienter etiam Mitra eius capiti datur tanquam Sacerdoti Magno, & Pontifici Maximo, quod modo huiuſce Crvcis noſtrae e Vitali Ligno ſculptura oſtendimus. Quod vero id non tam rarum olim fuerit, en alterum exemplum in pervetuſta Crvcifixi Iesv Imagine ex aere, altitudinis unciarum fere decem, quae ſervatur in Muſeo Celeberrimae Academiae Etruſcorum Cortonae; quam delineatam, dum haec ſcribo, ad me miſit V. C. Marcellus Marchio & Eques Venutus, eiuſdem Academiae praeclarum ornamentum. Quare optime in divino Libro ſcriptum de Chriſto Domino legimus, *data ſunt ei diademata multa;* quia dignitate, poteſtate, & meritis ſuis, omnia, quae habuit, nobis contulit ad ſalutem.

III. Mitrae Pontificiae varias formas, & ornatus ut accurate obſervemus, in tribus Segmentis adlatae ibidem in ſuperiore Capite IX. Tabulae oſtendunt; quas a meo Pictore ex antiquis ſinceris monumentis pingendas curavi. Cenſent Heterodoxi Mitram, & Regnum eſſe ſummorum Pontificum cum ſuperbiae, tum ambitionis novum inventum: qui quantum in aperta luce caecutiant, & alios immaniter fallant, & ipſi quoque fallantur, ſatis ſuperque evidentiſſime liquet. Illud aegre multo magis fero, quod non defuere aliqui ex Orthodoxis Scriptoribus. qui cenſuere, mitrae uſum in Dei Eccleſia haud notum fuiſſe ante ſaeculum decimum; quos etiam valde hallucinari, plurima, quae ex ipſis antiquis monumentis clariſſima teſtimonia adfer-

adferri poſſunt, evincunt. Et qua nam ratione negari poteſt ſummis Eccleſiae Sanctae Dei Hierarchis, & Epiſcopis eximium hoc ornamentum, quod Sacerdotii, Dignitatis, & Poteſtatis eſt inſigne, quum & apud omnes Nationes, inanium Deorum Antiſtites, Sacerdotes, Sacrificuli, Flamines caput ornatum geſſerit, vel mitra, vel pileo, vel capulo, vel galericulo, vel vittis, infulis, aliiſve capitis integumentis, & ornamentis? quae non ſolum ſpectanda nobis offerunt complura antiqua monumenta, gemmae, ſigna, anaglypha, numiſmata, gemmae; verum etiam plurimi Scriptores locupletiſſimi diſerte teſtantur: quae quum perſpecta ſint Eruditis, non memoramus.

IV. Reliquis omnibus huiuſce ritus exemplum dediſſe mihi videntur Aegyptii, qui Sacerdotum, & Antiſtitum ſuorum capita peralta mitra ornarunt, cuius figuram exhibeo in SEGM. I. eiuſdem Tabulae num. I. Hanc gerit caput Sacerdotis, quod ex aere inaurato egregio opere fabrefactum exſtabat olim in Muſeo Ioannis Nardii, qui adtulit poſt Adnotationes ſuas in Lucretium Tab. VIII. Fig. II. pag. 656 nunc vero in meo Muſeo adſervatur. Hinc ſchema ſacrae mitrae deſumptum, vel antiquiſſimi exempli norma petita videtur, quum eius formam clare imitentur Pontificum Romanorum vetuſtiores Mitrae, & Regna, quae in Segmento II. & III. in eadem Tabula a me adferuntur. Ne quis vero eam pro inſigni geſtaſſe Sacerdotes Aegyptios dubitet, ecce apud Cl. Ciampinium Sacrificulorum Aegyptiorum pompa, qui omnes adſimili mitra ornatum habent caput, ut exhibet antiqua pictura, quam ipſe adfert in Par. I. Veter. Monum. Tab. XXIV. pag. 60.

V. Nec vero, quod hae primum ſimplices & purae, neque nimis ornatae fuerint, Summorum Pontificum ambitioni tribuendum eſt, quod ſenſim ſequentibus ſaeculis ornari gemmis, & unionibus conſueverint, quum ex adlato ſchemate num. 2. SEGM. I. perſpicue pateat Arſacis Orodii Parthorum Regis XIV. & ſucceſſorum tiaram, non ſolum infulis, verum etiam unionibus, miro opere ornatam fuiſſe; quod teſtantur numiſmata a Vaillantio edita in eorumdem Regum Hiſtoria.

VI. Id ipſum de Perſarum tiara adfirmamus. Abgari quoque Arabum Reges, Edeſſenorum Domini, in editis numis adſimili capitis ornamento inſigniti ſpectantur, & infulati, quos vide apud Vaillantium, Patinum in M. Aurelio pag. 240. & in Gordiano Pio pag. 378. & apud alios praeſtantes Numographos. Pileus Phrygius, quo non ſolum Sacerdotum Graecorum, verum etiam Etruſcorum caput condecoratur, ut videre eſt in adlatis a me Vrnis Etruſcis, imitatur Aegyptii Antiſtitis coronamentum, quum tamen eius apex incurrvus ſit. Hoc vel ſimili capitis honeſtamento decorantur in vetuſtis Chriſtianorum Monumentis Sancti Orientis Magi, & in picturis Sacrorum Vrbis Coemetriorum Orpheus; de quo multa egregie obſervat diligentiſſimus Praeſul Bottarius Par. II. ad Tab. LXIII. LXXI. Divinitatis argumentum apud veteres Etruſcos & Latinos, elapſis bis mille & amplius ab hinc annis, fuit tutulus, de quo non pauca in meo Muſeo Etruſco adnotavi. Iconem vetuſtiſſimi tutuli habes in eodem SEGM. I. num. 4. Integrum Laris huiuſce ſimulacrum ex aere ex Muſeo Capponio ex teſtamento migravit in Celeberrimum Muſeum Kircherianum Collegii Ro-

ma-

mani. Inſulae, ſeu vittae ex utraque tutuli parte pendentes, aures tegunt, & ſub menro peculiari modo iunguntur. Integram alibi dabimus eius effigiem, & iconiſmum cum altero adſimili Laris ſimulacro tutulato, ad cuius pectus bulla pendet.

VII. Pontificum Romanorum mitrae primum, ut diximus, humiliores fuere: quas D. Auguſtinus *apices* adpellat: eas vero gemmis pretioſiſſimis, & margaritis tunc ornari conſueviſſe arbitror, quum ipſi Imperatores Chriſtiani, atque etiam Auguſtae Feminae infinitis paene unionibus caput ſuum onerare coeperunt. Non ſolum diademata ornata gemmis in Conſtantini Magni numis, & ſucceſſoribus ſpectantur; verum etiam galeae multis unionibus condecorantur: quae exempla ex numis adlatis a Du-Cangio in Hiſtoria Byzantina, a Bandurio, aliiſque Numiſmatographis obvia ſunt. In SEGM. II. num. 1. non abs re viſum eſt indicare caput gemmata mitra ornatum Theodorae Auguſtae, coniugis Iuſtiniani Imperatoris, ex veteri pictura muſivi operis, quae ſpectatur Ravennae in ſacra Aede S. Vitalis, in Sacelli maximi pariete iiſdem picturis decorato anno Chr. DXLVII. a Rubeo, & Alamanno adlata, ex quibus protulit Du-Cangius in laudata Hiſtoria pag. 97. & videri poteſt apud Ciampinium in Par. Veter. Monum. Tab. XXII. Cap. IX. pag. 73. Gemmis quoque ornatam mitram S. Silvestri Papae, qua eum donatum perhibent a Conſtantino Magno, nolui praeterire, cuius icon exhibetur in eodem Segmento num. 2. Ea Deiparae Virginis in throno ſedentis cum Ieſu in gremio, adſtantibus hinc inde Angelis, emblema praefert, & ſeptem ſtellis, gemmis, & litteris ornatur. Eius partem, ita ima-

imaginatam, ut veteres dixere, adfert F. Angelus Rocca Camers, Apoſtolici Palatii Sacriſta ante Scholia in Gregorianum Sacramentorum librum, quam etiam luculenter inluſtrat. S. Ambroſii Pontificalem Mitram, *ſertum cum gemmis* Ennodius adpellat: multiſque nominibus, & adpellationibus donatae leguntur in Macri Hierolexico, ad quod Lectores ablego. Sequutis ſaeculis Pontificales mitrae ſenſim altiores factae, in acumen adinſtar coni deſinentes, adiectis infulis, uſum obtinuerunt quarum icones habes SEGM. II. num. 7. & 8. ex nummis argenteis Sergii III. Papae, qui ab anno 904. ad 911. Romanae praefuit Eccleſiae, adlatis a V. C. Vignolio pag. 62. Sed in Muſivis picturis S. Eccleſiae Ravennatis S. Ioannis in Fonte apud Ciampinium Par. I. Vet. Mon. Tab. LXX. Apoſtoli, quorum nomina adſcripta ſunt, mitris ornatis duobus circulis inſigniuntur. Quod eſt ſpectatu iucundum, in Muſiva pictura Baſilicae Liberianae apud eundem Ciampinium Tab. LII. pag. 214. Iacob capite ornato mitra expreſſus eſt.

VIII. Adcedit, quod in ſummitate interdum vel globo, vel Cruce Dominica mitrae ornatae viſuntur, quarum ſchemata in eodem SEGM. II. num. 3. 4. 5. & 6. occurrunt, quae a me ex vetuſtioribus Eccleſiarum Monumentis apud Hagiographos Scriptores, praeſertim apud Ciampinium adlatis, depromta ſunt: Innocentem ſacri Pictoris errorem, & valde ingenioſum, adnotare heic lubet, qui muſivo opere exhibens Sanctorum Magorum adorationem, ex his primum, qui dona offert nato Domino, expreſſit ornatum tiara, ſeu mitra Pontificia, cuius vertici impoſita eſt parvula Crux ferme ſimilis adlato ſchemati in SEGM. II. num. 6.

quam

quam in ima ora corona radiata circumdat, ut in 2. SEGM. III. Hanc picturam adfert Ciampinius de Sacris Aedificiis Cap. IV. deſcribitque pag. 75. num. 114. quae exſtabat in Vaticana Baſilica in Sacello S. Mariae ad Praeſepe: quod opus fieri iuſſit Ioannes VII. Pontifex Maximus, qui electus eſt anno Chr. 705.

IX. Ad mitrarum ornatum, praeter Cruces, & gemmas pretioſiſſimas, adceſſere, ut ſupra indicavimus, Hiſtoriae ſacrae emblemata, & phrygia opera; quapropter ex Nicephoro, & Balſamone *Phrygium* mitra intelligitur, quam Innocentius III. *Antiphrygium* vocat. Phrygio opere decoratam Gelaſii II. Papae mitram delineandam curavi in SEGM. III. num. 1. cuius integram imaginem ex antiqua pictura adfert Dominicus Macrius in Hierolexico in voce *Mitra* pag. 387. Mox adiectus ſupra extimam mitrae oram circulus vel radiatus, vel regius, ut videre eſt in adlato duplici ſchemate in eodem SEGM. III. num. 2. & 3. Sed illud notandum, quod vittae, ſeu infulae, quae Cruciculis ornabantur, antiquitus non retro pendentes refluebant, ſed in utraque capitis parte tempora velabant, & utramque plane aurem intectam poſt ſe relinquebant. Id apertiſſime obſervare potui in marmorea ſtatua bipalmari S. Gregorii Magni ſedentis, qua olim Chorus antiquus Florentini Baptiſterii ornabatur, nunc vero in meo Muſeo exſtat. Nam Sanctiſſimus Pontifex capite gerit Regnum unico circulo ornatum, cuius ſchema adfertur in SEGM. III. num. 3. & infulae eo ut dixi modo fere prope oculos pendent. Regno Pontificio tertium circulum, ſive coronam adiecit non Vrbanus V. ſed Benedictus XII. quod luculen-

len-

lenter oſtendit Praeclariſſimus Eques Franciſcus Victorius in egregio Opere ſuo mihi honorifice inſcripto, *il Fiorino d' oro illuſtrato* Cap. VI.

X. Illud etiam adnotandum, non ſolum capita Deorum, ut oſtendi ad Gemmam Iovis caput referentem in Dactyliotheca Zanettiana, eorumque Sacerdotum, quae etiam Cameis inſcalptis cum Deorum iconibus ornari ſolebant, ut videre eſt in meo Doniano Syntagmate ad *Tab.* VIII. *pag.* 135. in icone L. Lartii Anthi, Criſtophori Aedis Bellonae Pulvinenſis; nam in tribus Cameis, quae lauream eius coronam ornant, ſculptae ſunt protomae Palladis Bellatricis a dextris, Martis a ſiniſtris, & in medio eiuſdem Deae Bellonae; adde Regum veſtes apud Orientales, & Etruſcos literis inſcriptas; verum etiam diademata, tiarae, & cidari, pariterque multo opere auro ornari, teſte Arriano aliiſque Scriptoribus conſueverunt: Illud quoque exploratum eſt, in frontali lamina aurea ſummi Sacerdotis apud Hebreos Dei nomen ſcriptum, ut in Exodo Cap. XXIX. verſ. 36. ita etiam & mitrae Summorum Pontificum, & Epiſcoporum Eccleſiae Sanctae Dei, litteris ſacris, emblematis opere phrygio ex auro contextis, gemmis, & unionibus ornatae adhuc in vetuſtioribus Baſilicarum ſacrariis ſpectantur. Hiſce ornamentis adde etiam ſacras Imagines, & Hiſtorias, quod iam ab Angelo Roccha, ut diximus, de Mitra S. Silveſtri Papae oſtenditur, & adnotatur. Vſus iſte hiſtoriatarum mitrarum apud nos iam deſiit; ſed ex monumentis ipſis, picturis quoque pervetuſtis, atque ex ipſis mitris, quae hodie ſuperſunt, eruimus morem hunc uſque ad ſeculum XV. ſervatum fuiſſe. Dum haec ſcriberem, pietatis & devotionis cauſa Florentinam Carthuſianorum Eccleſiam, & Monaſterium inſigne adivi III. Kal. Novemb. huiuſce anni CIↃ.IↃ.CC.XLVIIII.

ea

ea potiſſimum de cauſſa, ut colerem Corpus Beati Nicolai de Albergatis, S. R. Eccleſiae Cardinalis, & Archiepiſcopi Bononienſis, quod ad aram maximam ibidem exſtat, in qua votiva in eius honorem celebrata Miſſa, me ipſum, & meos domeſticos, amicos quoque omnes, potiſſimum vero Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Benedictvm xiv. Pontificem Optimum Maximum, qui eum Beatorum Faſtis ſolenni ſanctione, & ritu adlegit, & ſacris Diptychis inſcripſit, aliisque per multis honoribus, atque encomiis honeſtavit, enixiis precibus commendavi. In interiore Sacello elegantiſſimo permulta, ac varia eius Lipſana honorifice ſervantur, inter quae eius Mitram obſervavi multis Sanctorum Imaginibus, praeſertim vero Beatae Mariae Virginis in Caelo a Deo coronatae, undique vero phrygiis ex auro contextis operibus, ſplendido opificio, nullis tamen gemmis (ni tamen exciderint) condecoratam ſubſpexi. Haec, atque alia fere omnia, precipue etiam ſacrorum inſignium Pignorum Theſaurum, eiuſdemque Eccleſiae ornamenta mihi ſumma cum humanitate oſtendit Domnus Petrus Maria Perivs Florentinus, Monachorum eius Ordinis Prior meritiſſimus, ac pientiſſimus, quo cum neceſſitudo a teneris uſque unguiculis, & ab ipſo optimarum litterarum una peracto tirocinio in Schola Baptiſterii Florentini, neceſſitudo intercedebat. Is, ad cultum Sacrorum Pignorum haec egregiis curis ſuis perfecit, & nuper ea diligenter curavit, quae ad decorandas Sanctiſſimi atque Eminentiſſimi Antiſtitis Nicolai Exuvias pertinebant, ne quid dicam de ceteris eiuſdem Templi, Aſceterii, & Bibliothecae ornamentis, quae quanta fuerit Procerum Acciaiolae Gentis ſplendidiſſimae ac nobiliſſimae pietas, & magnificentia, qui Florentinam Carthuſiam a ſolo excitarunt, ac fundarunt, clariſſime oſtendunt. Sed

XI Sed hoc loci minime ſilentio praetereunda eſt Mitra maxima, ſeu Triregnum Papale Pii ſecundi Pontificis Maximi, qui non ſolum veterum elegantiarum cultor fuit eximius, verum etiam magnificentiae, & decoris Domus Dei ſtudioſiſſimus: quod probatae fidei compluribus teſtibus oſtendit Eminentiſſimus Princeps Angelus Maria Qvirinvs S. R. E. Bibliothecarius, Pontifex Brixienſis Cap. iv. in Vindiciis ſuis ad Vitam eiuſdem Pontificis. Quam inſignis, & pretioſiſſima fuerit eius Mitra, quam in ſolemnioribus ſacris myſteriis, & pompis geſtabat, oſtendunt numiſmata quaedam, & Scriptores probatiſſimi teſtantur, inter quos Cardinalis Aegidius Viterbienſis in Hiſt. xx. ſaecul. his verbis: *Incredibili pretio emit, ſacravitque Mitram, & inſolito pretioſiſſimarum gemmarum pondere explevit, qua ornatus cum prodiret, oculos omnium luce, rediiſque feriebat.* Adcedit Michaëlis Canneſii teſtimonium, quod his conſonat, ab eodem Purpurato doctiſſimo adlatum, qui Mitram illam, ſeu Tiaram, communi iudicio ducenta millia aureorum pretio aeſtimatam memorat. Siquidem non ſolum lapilli tum magnitudine, tum pulchritudine rariſſimi in mitrarum cultum adhibebantur; verum etiam gemmae antiquae multo opificio elegantiſſime inſcalptae, nec raro etiam Camea. Mitrarum antiquarum, quas Ravennae vidit, ornatum deſcribit in ſequenti Diatribe V. C. Paullus M. Paciaudius, qui etiam adfert caelatam Gemmam, litteris grecis ornatam, cum manu aurem vellente, quam vel inter amatorias, vel etiam conviviales, vel hoſpitales recenſebam, quae amicis, & amaſiis dari facile ſolebant, ut memoriam ſui in ipſis crearent, & obtinerent, cui adſimilem protuli in Tom. II. Muſei Florentini Tab. xx. num. 2. pag. 55. & nonnulla adnotavi. At quia ad voluptuoſos homines

nes pertinere pluribus egregie oſtendit, eius quoque explicationem valde veriſimiliorem lubenter probo, & laudo.

XII. At ut ad illud, quod iam oſtenderam, revertar, Pontificis Maximi tres Mitras in uſu eo ſaeculo oſtendit Caeremoniale Romanum, editum iuſſu Gregorii x. apud Cl. Mabillonium, quod pag. 232. haec habet num. 12. *Primo notandum eſt, quod Dominus Papa tres mitras diverſas habet, quibus diverſis temporibus utitur; ſcilicet unam albam totam, unam cum aurifriſio in titulo ſine circulo, & mitram (ſive) aurifriſiatam in circulo & in titulo. Mitra aurifriſiata in circulo & in titulo utitur in Officiis diebus feſtivis, & aliis, excepto a Septuageſima uſque ad Paſcha, & ab Adventu uſque ad Natale, & quando cantat pro Defunctis. Et eſt alia ratio, quia coronam repraeſentat, & activae & contemplativae vitae diſcurſum. Mitra vero cum aurifriſio in titulo ſine circulo utitur, cum ſedet in Conſiſtorio, & iudicat; unde coronam regalem repraeſentat. Alba utitur diebus Dominicis, & aliis non feſtivis, ab Adventu Domini uſque ad vigiliam Nativitatis Domini in Veſperis, praeterquam in tertia Dominica de Adventu, quae dicitur Dominica de* Gaudete. Hodie in Solemni festo Corporis Christi tria Pontificis Regna magna pompa ante eum menſis portatilibus impoſita, ut mihi narratum eſt, deferuntur. Papalis Triregni iconem exhibeo in segm. Iii. num. 4. & 5. ea vero Mitra, quae adfertur in eodem segm. Iii. num. 7. ea deſumpta eſt ex vetuſto Marmore, opere anaglyptico caelato, ſupra Portam maiorem frontis Baſilicae S. Ioannis Evangeliſtae, apud Celeb. Abbatem Bacchinivm Par. Ii. Agnelli Auctoris Libri Pontificalis Vitarum, nempe Pontificum Ravennatum in

Ap-

Appendice Tab. C. & D. pag. 58. & 59. qua ornatur caput S. Barbatiani Epiſcopi Ravennatis, quod tamen anaglyphum ſequiore aevo ſculptum creditur. Mitrarum varia forma, & ornatus videri etiam poteſt in Antiquitatibus Aquileienſibus in fine inter ſacra Monumenta, atque ex numis Patriarcharum Aquileienſium, quae ab Eruditiſſimo Canonico & Comite Ioanne Dominico Bertolio edita, atque illuſtrata proferuntur.

XIII. Sed antequam manum e tabula dimoveam, adnotare lubet Pictorem apud nos antiquum, ut opinor, ſaeculo xiii. vel xiv. Aeterno Patri tribuiſſe Pontificium Triregnum, tribus ornatum circulis, quales regiis coronis tribuuntur, & in ſummo vertice, ſeu apice globum impoſuit cum parva Cruce. Singularis haec picta Tabula, quam olim obſervavit, & delineandam curavit Cl. Bindus Simon Perutius Patric. Flor. et dono dedit Societati Columbariae Florentinae (vide Annal. It. anni mdccxxxvii. pag. 165.) exſtat in Eccleſia Suburbana Florentinae Dioeceſeos, quae S. Georgii ad Ruballam dicitur. Praeter Pontificium Triregnum caput Aeterni Patris ambiunt tres circuli, diſcum referentes, radiis aureis ornatiſſimum. Hanc imaginem delineandam curavi ex eodem prototypo, & ſi locus heic vidiſſem opportunum, adferre volebam; ſed id alibi, Deo dante, praeſtabo.

DIS-

DISSERTATIONIS
DE
MITRATO CAPITE
IESV CHRISTI CRVCIFIXI

INDEX AVGVMENTORVM

CAPVT I.

Florentinae Baſilicae BAPTISTERII origo, antiquitas, dignitas, ac praeeminentia breviter indicatur. *pag.* 77.

CAPVT II.

Crux ex ADMIRABILI LIGNO CRVCIS adſervata in Baſilica Baptiſterii Florentini, atque eius Hierotheca, in qua repoſita nunc colitur, breviter deſcribitur. *pag.* 82.

CAPVT III.

e vetuſtioribus Baptiſterii Florentiini Hierothecis, in quibus conditum PRETIOSISSIMVM SANCTAE CRVCIS LIGNVM; & DE VESTE CHRISTI, quae portio ſimul recondita. *pag.* 89.

CAPVT IV.

Antiquiſſima IESV NAZARENI CRVCIFIXI Imago in eodem LIGNO SANCTAE CRVCIS inſculpta deſcribitur. *pag.* 94.

CAPVT V.

De Symbolicis figuris CHRISTVM CRVCIFIXVM ſignificantibus apud primitivos Chriſtianos. *pag.* 101.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VI.

De Sacroſancto MONOGRAMMATE deſignante CHRISTVM Dominum, eiuſque apud priſcos Fideles cultu. Nonnulla etiam de Auguſtiſſimo Nomine IESV obſervantur. *pag.* 120.

CAPVT VII.

De Elevatione, & Exaltatione glorioſi Monogrammatis CHRISTI apud primitivos Chriſtianos. *pag.* 134.

CAPVT VIII.

De SANCTA CRVCE ſimplici, ſanguinea, coronata, radiata, gemmis, emblematis, atque imaginibus ornata, itemque literata, priſcorum Fidelium adorationi expoſita. *pag.* 151.

CAPVT VIIII.

De Imagine CHRISTI una cum CRVCE; vel in ipſa CRVCE expreſſa. *pag.* 172.

CAPVT X.

In Ligno Sanctiſſimae CRVCIS, quod in Theſauro Baptiſterii Florentini adſervatur, IESVS CHRISTVS CRVCIFIXVS cur CAPITE MITRATO ſculptus, inquiritur, & expenditur. *pag.* 191.

PAVL-

PAVLLI . MARIAE . PACIAVDI

CLER. REG. PRESBYTERI

DE

VETERI . CHRISTI . CRVCIFIXI . SIGNO

ET . ANTIQVIS . CRVCIBVS

QVAE . RAVENNAE . SVNT

D I A T R I B E

ACCEDVNT . MONVMENTA . ALIA

NONDVM . EDITA.

Digitized by Google

ANT. FRANCISCO GORIO
BAPTISTERII FLORENTINI PRAEPOSITO
V. C.

PAVLLVS. M. PACIAVDIVS
εὐπράττειν καὶ εὐδαιμονεῖν.

§. I.

POſtulas ex me, Clarissime Gori, atque id oneris honeſte imponis, ut Signum omnium vetuſtiſſimum Iesv Christi Crvcifixi, & antiquas Crvces, quae Ravennae ſunt, perquamdiligenter deſcribam. Rem nulla interiecta mora aggrediar, etſi per hoſce eſuriales dies parum detur otii: neque in eo eſt, ut vel minimum laudis mihi tribuas; virum ſiquidem tibi multis nominibus devinctiſſimum iuſſa tua capeſſere, omni poſthabita cunctatione, fas eſt. Omnia ferme huius praeclarae, ſpectatiſſimaeque Metropoleos Templa inviſi, ſimulacra omnia acrius ſum contemplatus, atque unum tantummodo, idemque ligneum ſuppetit, de quo tecum verba conferere e re noſtra duco. Simulacrum exſtat in aede Divi Dominici pone Aram maximam, in aedicula nu-

per magnificentius, aere conlato, exſtructa: popularium nedum, ſed & convenarum ſupplicationibus colitur, & donariis cumulatur: illudque aliquando ſanguinem affluenter ſudaſſe, narrat elegantiſſimus Hiſtoriarum Ravennatum Scriptor Rubeus, deque ea re locupletiſſimos teſtes adhibere ſe poſſe adfirmat.

In hoc itaque Signo, infelici arbore, CHRISTVS ſuſpenſus viſitur: non eſt tamen CRVX *immiſſa*, nec *commiſſa*, neque *decuſſata*; ſed lignum bifidum, & furcatum, quod litteram Y repraeſentat; ex tereti, & nodoſo in planitiem levigatum. Totum CHRISTI ſimulacrum contegitur lineo panno, ſed glutine quodam perquam bene adaptato. Sic omnibus membrorum plicaturis & flexibus inhaereſcit, ut pellis, & cutis ſpeciem referat. Nimbus capiti ſuperimpoſitus in plani circuli formam. Morem ignava poſteritas abs Gentilibus mutuata eſt, & honoris, dignitatiſque cauſſa adiecit pictis etiam imaginibus, quod illi ſtatuis ſub dio poſitis ne ab avibus conſpurcarentur. De numero clavorum diſputatum diu eſt, ut probe noſti, mi GORI. Totam hanc cauſſam enucleatius expendit Cl. Fontaninius in libro *de Corona ferrea Langobardorum*, ut alios ſilentio praeteream. In hoc ſimulacro terni ſunt: cuius moris vadem dabo illud Nazianzeni de *Chriſto Patiente*, quod memoriae ſuccurrit:

Γυμνὸν τριςήλῳ κείμενον ξύλῳ λαβών.

Nudum triclavi repoſitum ligno auferens.

Etſi veteribus receptum fuerit lignum illud, quod ab erecto CRVCIS ſtipite eminebat, in quo cruciarii quaſi vectabantur & inſidebant; attamen quod de ſuppedaneo docent pictae tabellae, ut Schurfle-

ſleſchii verbis utar in ſuis *Antiquitatibus Eccleſiaſticis*, plerumque ſequioris aevi commentum eſt. Neutrum in hoc noſtro ſimulacro: nec res exemplo vacat. Narrarunt mihi nonnulli abs ligno arrectario ſurſum emicuiſſe ferreum bacillum, cui infixa erat maledictis concepta epigraphe, ſive titulus: *κατὰ γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλούντων*: *cum litteris, quae cauſſam mortis aperirent*, ut ait Dio de ſervo, quem herus in crucem agi iuſſerat: ſed impraeſentiarum abeſt Titulus; num ſcienter aliquando praetermiſſus, docebit te Nicquetus in *Hiſtoria Tituli Crucis*.

Quid nunc de Crucis forma aliquid litteris mandare inſtituam? Res eſt tot Auctorum ſermone protrita, ut nihil magis. Numquid aliquid novi appingam his, quae ſcripta ſunt a Gretſero, Lipſio, Callixto, Bartolinio, Boſſio, Kippingio? Tria tamen mihi in animo eſt obſervare. Ac primo quidem hanc eſſe veteris *furcae* ſpeciem, & formam; quamvis enim Suidas illam ſubobſcure definiat: *Φοῦρκα παρὰ ῥωμαίοις ξύλον δίδυμον*; *Furca Romanis eſt lignum geminum*, minime ambiguum quod ſcribit Plutarchus (*in Cauſſis*): *διπλοῦν ξύλον ὃ ταῖς ἁμάξαις ὑφιστᾶσιν*: *duplex lignum, quod curribus ſubiiciunt*: & apertius etiam (*in Coriolano*): *ξύλον ἁμάξης ᾧ τὸν ῥυμὸν ὑπερείδουσι*: *lignum currus, quo temonem ſuſtentant*. Quid curribus ſubiicimus niſi lignum bifidum? quo temonem ſuſtentamus niſi bicipiti, & furcato ad modum huiuſce Crucis Ravennatis? Huc reſpiciunt ea Sidonii carmina (*Carm. XXI.*)

Vite capiſtratas cogebat ad eſſeda tigres,
Inſtrabat duplicem, qua nemo racemifer arcum,

Miror ſane Lipſium dixiſſe furcae formam in veterum ſcriptis parum dilucide traditam: illum fugit Varronis locus (*de L. L. IV.*) ubi de vallo, *quod extrema bacilla* FVRCILLATA *figuram habeant litterae* Y. Longe opinione falluntur hi quoque, qui eam ad formam litterae Π conſtituunt; tunc enim lignum non biceps, aut geminum foret, ſed triplex; quod nemini in mentem venit. Secundo, multorum ſententia eſt, furcam lignum fuiſſe, quod a ſervis fugitivis, a latronibus, ſicariis, aliiſque ex faece plebis morte damnatis, per urbem deportabatur, qui deinde cruci affigerentur. Sed plurima ſunt, quae in diverſum abire iubent. Cur furcae ſuſpendi non poterant, ſi lignum ad id muneris erat aptiſſimum? Nonne & crucis genus? Quid, quod Calliſtratus (*L. 28. Tit. de poenis*) *Latrones, in his locis in quibus ſunt graſſati,* FVRCA FIGENDOS, ex multorum inſtituto diſertis verbis docet? Tertio, quum Iudaei IESVM probroſae morti dare meditarentur, facile hoc ligno uti poterant, quo illi maiorem quodammodo infamiam inurerent. His accedit, ſi fas eſt dicere, nonnullos Aſcetas, ſuperni Numinis inſtinctu afflatuque ſcripſiſſe, CRVCEM Domini fuiſſe in hunc modum conformatam, ut vaticinium impleretur: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.*

Verum nollem heic ut mihi crimini vertas id, de quo Revardus, & Schultingius Tribonianum inſimulant, furcam pro cruce poſuiſſe. Vtrumque uſurpari poſſe arbitror hac in re, etſi furca uſu deſierit nominari. Ais etiam crucem praeſignarat divinus vates Ezechiel in littera T. Ex hac figuram Crucis acceſſunt Baronius, Huetius, Rainaudus, aliique, Tertulliani, Hieronymi, Iſidori veſtigiis inſiſtentes. Multa etiam adnotavit indefati-

fatigabilis Muratorius *in Anecdotis Diſſert. XXI. de Cruce Nolana*. Sed reſponſum habes apud Vitringam in *Obſervationibus ſacris*, & apud Zornium *in Bibliotheca Antiquaria Exegetica*, quin exſcribam. Sat eſt ſi ſymbola aliquid ſimimilitudinis praeſeferant. De huiuſce ſimulacri Ravennatis aetate, quod multa iam tulit ſaecula, nihil firmi, certique me adferre poſſe video. Quod indubium; ſingulare & unicum eſſe, & inter praeſtantiora Vrbis monumenta collocandum.

§ II.

INſtituta ſcribendi ratio, & ſuſcepti muneris partes poſtulant modo, ut ad antiquas CRVCES progrediatur oratio; atque narrationi initium ponamus ab his, quae in Templo Maiori adſervantur. Ab Agnello in *Pontificali*, ſeu Vitis Pontificum Ravennatum, quas edidit Bacchinius, haec accepimus de S. Agnello, qui inter vivos agebat ſaeculo ſexto ad exitum iam vergente: *Fecit Beatiſſimus Agnellus Crucem magnam de argento in Vrſiana Eccleſia* (id eſt maiori quam Vrſus excitaverat) *ſuper ſedem, poſt tergum Pontificis etc.* (*In Vit. Cap. III.*) Huius delineationem dedit Ciampinius in Diſquiſitione *de Cruce ſtationali*; ſed eius opinio mihi haud probatur. Quadraginta argenteis orbiculis ornatur, in quorum ſingulis anaglypho opere Viri caput diadematum expreſſum eſt. Putat Ciampinius Ravennates Epiſcopos eſſe, idque ex *pallio* quo inſigniuntur. Deinde, quum ex Vghellio collegiſſet tempore Divi Agnelli nonniſi XXX. Epiſcopos deceſſiſſe, poſteriorem Agnello Crucem exiſtimat. At errore tenetur Ciampinius, non quidem ſui vitio, ſed eius

qui Crucem deſcripſerat; nam ex figuris illis XL. omnibus pectore tenus efformatis, tres tantummodo pallio exornantur; in ceteris ornatus, qui eſt ad modum anguſti clavi, Ciampinio fucum fecit, ut pallium crederet. Quantum ego mea ſententia auguror, Agnellus eorum Sanctorum vultus in his orbiculis effingendos curavit, quos S. Petrus Chryſologus in fornice aediculae Epiſcopii opere vermiculato repraeſentari mandaverat, quibus nonnullos Agnellus adiecit, nempe, vel quos tamquam Vrbis ſoſpitatores, vel ipſe privato ſtudio colebat. In Crucis centro, ubi brachia decuſſantur, orbiculus maior eſt. Hinc CRISTVS e ſepulcro erumpens; illinc B. VIRGO inter duas cupreſſus orans, more antiquo, manibus expanſis, *& palmas ſuas extendens ad Dominum*. Aiunt Vrſum dum Baſilicam ſacris inauguraret, & ſolemnem inſtitueret, Chriſto Reſurgenti dedicaſſe; hinc factum ut ΑΓΙΑ ΑΝΑΣΤΑΣΙΣ fuerit nuncupata. Hoc nomen Baſilicae alii inditum putant, quod Dogma Concilii Nicaeni iam fere emortuum, ibi quodammodo revixerit: vel quod ob merita Virorum ſanctorum in ea Baſilica plurimi iam mortui ad vitam redierint. Opinioni anſam dedit illud Caſſiodorii ex Sozomeno (*Hiſtoriae Tripart. Lib. IX.*) ubi de Baſilica Conſtantinopolitana verba faciens, ſic fatur: *quam Baſilicam ideo ANASTASIAM vocant, ſicuti reor, eo quod Dogma Nicaeni Concilii in Conſtantinopoli, quaſi iam mortuum, eo loco revixerit . . . quod dum populus ibi congregaretur ad Miſſas, mulier praegnans de ſuperiore porticu cadens, defuncta eſt. Tunc, oratione facta ſuper eam, revixit*. Fabrius, & Rubeus tres Eccleſias Ἀ'ναςάσεως nomine inſigniri aiunt, Lateranenſem, Ravennatem,

& Hye-

& Hieroſolymitanam. De Lateranenſi non ſatis probatum puto; nam Caeſar Cardinalis Raſponus Ravennas in libro *de Baſilica, & Patriarchio Lateranenſi*, dum magnam illam Eccleſiarum Matrem Chriſto Servatori dicatam ſcribit, ad rem animadvertere minime praetermiſiſſet, quae in patriae ſuae decus vertebat.

Alterius nunc Crvcis, quam nullus, quod ſciam, evulgavit deſcriptionem, placet in pauca verba conferre. Adſervatur in Paracellario eiuſdem Baſilicae, & argentea quoque eſt. Eius extrema ora excipiunt tabellae polygonae quatuor ex argento encauſto ſuperinducto. In ea, quae ſuperne exſtat, Aeternus Dei Pater librum manu geſtans, & dextera beneditionem impertiens more Latino, cum lemmate: Ego svm lvx mvndi. In Tabellis quae ad brachia ſunt hinc B. V. cum litteris: sancta maria; illinc Diſcipulus adiecto titulo: sanctvs ioannes: in ea quae inferne eſt, mulier oculis pluens, cum inſcriptione: sancta maria magdalena. Chriſtus Ieſus clavis tribus crucifixus: legitur & carmen „ *Salve Crux Chriſti Benedicta Redemptio Mundi* „ Tenes iam anticam partem; in poſtica vero loco Chriſti, Antiſtitem vides indutum penula magna cum pallio antiquo, & mitra, quae patula eſt, & bicornis, ſed humilis & depreſſa; hunc cognoſcimus ex Epigraphe: sanctvs apolenaris. Sanctorum imagines in medio Crucis deformare conſuevit antiquitas, & exempla habes cum apud Ciampinium, tum apud Angelum Roccam *De Portiuncula Crucis Sacrarii Baſilicae Vaticanae*. In quatuor tabellis, Aqvila, Bos, Leo, Ivvenis: cum inſcriptionibus, *S. Ioannes*, *S. Luchas*, *S. Marchus*, *S. Mateus*. Hic etiam inconditum carmen „ *Mors mortis. moriens homi-*

num

num ſum vita reſurgens „ Pervulgantiſſima haec Evangeliſtarum Symbola cernere quoque eſt in Muſivis aediculae S. Petri Chryſologi, & fornicis Sepulcri Gallae Placidiae. In hac Cruce figurae omnes ex opere anaglypho, & tota ſui mole exſtantes. De aetate, & Auctore commonefaciunt carmina quatuor confragoſa in ſtipite, & metro incompta, in quibus *Anaſtaſis* mentio iniicitur. De verſibus, qui *Leonini* ὁμοιοτέλευτοι ſimiliter deſinentes dicuntur, plura adnotavi in Diſſertatione Epiſtolari *de duobus antiquis Tintinnabulis Eccleſiae S. Ioannis Capuae*. Nolo dicta iterare, etſi Paſtricius *de Patena argentea Forocornelienſi*, qui nunc primum mihi ad manus pervenit, multa refellendi opportunitatem praeberet. Ad carmina iam properemus.

ME CIMIARCA (*ſic*) DECVS SANCTE (*ſic*) DAT ANASTASIS ESSE
VIR MACARAVA FAVENS ·X· ANDREAS SED
FABRICAVIT
SEDE PETROCINO PASTORE SEDENTE RAVENNE (*ſic*)
IN SEXAGINTA SEX ANNIS MILLE TRECENTIS

Sed antequam ab Epiſcopio diſcedam, exſcribam vetus Epigramma, quod eſt in eius Muſeo, quo Chriſtiani hominis repoſita in Cruce ſpes declaratur.

✠ CRVX SCA ADIVVA NOS IN IVDICIO
HIC REQVIESCIT IN PACE
GREGORIVS VNA CVM CONIVGE SVA
MARIA VOS QVI LEGITIS
ORATE PRO NOBIS PECCATORIBVS

§. III.

§. III.

LOcus eſt bis mille paſſus ab Vrbe diſtans, cui nomen Claſſis. Oppidum fuiſſe, tradunt rerum Ravennatium Scriptores ad Claſſicanum Portum. Deſiderius Spretus, qui omnium primus antiqua Epigrammata colligere, & Hiſtoriae ſubnectere inſtituit, cuius opus lucem adſpexit Venetiis 1489. apud Typographum *Capcaſam Parmenſem*; (quod ſane Inluſtrem Marchionem Maffeum latebat; ſi enim hanc editionem compertam habuiſſet, ſcriptis minime conſignaſſet ea, quae Tomo IV. ſuarum Obſervationum pag. 370. leguntur). Spretus inquam de hoc Oppido memoriae prodidit: *ut Mercatores convenae, & ceteri omnes, qui pro commutandis, emendiſque invicem rebus aſſidue confluebant, commorarentur, propenſius aedificarunt*. Inibi Templum auguſtum, ingens, Divo Apollinari ab Iuſtiniano dicatum. Adiacet Monaſterium, de cuius antiquiſſima dignitate nonnulla etiam ſcribit Vir numquam interituri nominis Guido Grandius in Diſſertationibus Camaldulenſibus. Dum Pontificatum Maximum gereret Alexander III. intra Conditorium repertae ſunt laminae argenteae morti eius coaevae, in quarum una: *Hic requieſcit ſacratiſſimum Corpus Beatiſſimi Apollinaris Martyris, & Sacerdotis*. Hinc Apollinarem ex illis eſſe intelligis, qui ἱερομάρτυρες dicebantur, qui nempe ſimul Epiſcopi eſſent & Martyres. Nomen Martyris Apollinari plerique abrogant, inter quos Petrus Franciſcus Igginius vir eruditus, & mihi a multis annis neceſſitudine coniunctus in libro de *Primis Florentinorum Apoſtolis*. Re quidem vera in antiquis libris Miſ-

Miſſarum a Venerabili Viro Ordinis mei alumno Cardinali Thomaſio editis, inter *Confeſſores* poſt Sanctum Benedictum, occurrit & Petrus Chryſologus, etſi aliquando Martyrem, bis tandem *Confeſſorem* appellat. Nihilominus Bollandiani *Martyrem* dici poſſe conſtituunt; nam etſi gladio vitam non finierit, multa tamen, eaque acerbiſſima tormenta paſſus eſt Fidei tuendae cauſſa. His accedit Gregorius Magnus (*Lib. V. Epiſt. XXXII.*) qui Martyrem vocat; item in Letaniis antiquis apud Mabillonium *Analectorum Tomo II.* inter Martyres invocatur poſt Timotheum: & in aliis apud Martene *de antiqua Diſciplina in divinis Officiis*, inter Martyres recenſetur poſt S. Protaſium: Teſtimonia haec iam ſubindicarat in notis ad Martyrologium Adonis Dominicus Georgius, quem vita ereptum lacrumis adhuc proſequimur. Tandem Sanctiſſimus, ac ter Beatiſſimus Pontifex Benedictvs xiv. bono rei Chriſtianae, & litterariae natus, in allocutione habita dum Eccleſiam a fundamentis reaedificatam in honorem S. Apollinaris prope Forum Agonale ſolemni ritu conſecrabat, nullum de hac re verbum facit, nec *Martyrem*, aut *Confeſſorem* praedicat: forte ne uni potius, quam alteri opinioni ex vera eius auctoritate pondus accederet. Sed ais, quid haec ad rem noſtram? Ad Crucem revertor.

In Fornice arcuato huius Templi eſt Muſivum, quod Ciampinius in *Monumentis Sacris* evulgarat; ſed tabulae eius mendis ſcatent, quod Ciampinio haud culpae vertendum; ſed ei qui diagraphicum exemplum delineavit, & Romam tranſmiſit. Inibi diſcus eſt ſtelliferus, cuius medium occupat Crvx Gemmata. Simillima eſt in Fornice faſtigiato Templorum SS. Nazarii, Celſi, & S. Vitalis.

In

In Tabulis Ciampinianis deſuper litterae I M D Y C, quas, ut ille interpretaretur, mentem diu cruciavit, & tandem quaſi hariolans, ait ſignificari *IMolatio Domini Ieſu Chriſti*: ſed inanis illi effluxit labor; nam litterae hae ſunt, quas Cl. Eques Victorius in Gemma detexit, (*De Num. Veter. Chriſtian.*) & quas etiam Fabrettus viderat, ſicque fuerat interpretatus:

I	HCOYC	IESVS
X	PICTOC	CHRISTVS
Θ	EOV	DEI
Y	IOC	FILIVS
C	ΩTHP	SALVATOR

Quae de piſce hoc loco dici ſolent, tacitus praeteribo: unus audiendus doctiſſimus Victorius libro laudato. Muſivi, ſeu potius Crucis delineationem ad fidem archetypi placet hic adponere.

Ubi Crucis latera cancellatim iunguntur,



Caput Ieſu Chriſti pectore tenus

Dii gentium inter alia nomina illud etiam τῶν σωτήρων accepere: hos veluti aemulantes ſecuti ſunt

ſunt Principes, ac Reges, plaudentibus aſſentatoribus, ut praeter alios pluribus oſtendunt Harduinus (*Oper. ſelect p.* 907.) & Pearſonius ad Symbolum Apoſtolorum. Quaeri hinc coeptum eſt, an ideo in ſacris Litteris inditum ſit Chriſto Servatoris Σωτῆρος nomen, ut conſtaret Chriſtum fictitiis inter Deos, & homines ſervatoribus numquam non oppnendum, potiorique, & optimo iure Dei Σωτῆρος, & Regis Σωτῆρος, ſive Λυτρωτȣ nomen obtinere? Adfirmant id Deilingius Parte II. *Sacrarum Obſervationum*, aliique in Theſauro Criticorum Biblicorum. Quid item iniquius, quam ut ſalutem humano generi per Crucem partam, & aſſertam ſibimet tribuerent homines? Audaciſſimam hanc iactantiam vides in nummo Galbae, ubi haec Inſcriptio: SALVS. GENERIS. HVMANI. Sed haec curſim, ut noſtrae Crucis epigraphem paulliſper inluſtraremus.

In cavaedio Eccleſiae noſtrae Spiritus Sancti antiqua CRVX marmorea peralta cum lemmate: VERA CHRIANORVM GLORIA. Tria in ſtylobate ſymbola: mitra cum lemnicis, calix cum patella orbiculari, codex reſeratus, puto Evangeliorum; inſtrumenta ſcilicet ſacris faciundis opportuna. In ſacris omnium fere Eccleſiarum ſeptis Sarcophagi ſunt veterum Chriſtianorum, quos nobilium familiae compararunt, ut in his ſibi, poſteriſque ſuis ſepulcrum pararent: perſaepe in eorum operculo, aut anteriori parte Crux cum duobus agnis vel pavonibus, vel palmis, vel Geniis facem geſtantibus, vel litteris A. Ω. Extra Portam Pamphiliam, ubi quondam Templum B. Laurentio a Lauricio Maiore Cubiculi Honorii Imperatoris dedicatum, ab Opillione Architecto exorna-

natum, ut docet Agnellus *in vita S. Ioannis τῦ Ἀγγελόπτυ*, nunc, nil praeter Crucem marmoream, ne tantae rei memoria deperiret; in cuius medio hinc manus pollice, indice, medioque iunctis erectiſque, anulari, auricularique complicatis; illinc Agnus, pro conſuetudine, iacens cum vexillo. Symbolum hoc ſaepenumero obviam venit Chriſtianorum Monumenta contemplantibus, eoque praepotentis Dei virtutem indicari conſtans omnium ſententia eſt. De nummis Crucigeris, qui Ravennae obtinuerunt, diſertiſſime diſputat amicus meus Ioſeph Pintius in hoc ſacrorum Puerorum contubernio humaniorum litterarum Anteceſſor in libro *De Pacunia Ravennae percuſſa*, quem per hos dies litterariis formis excudendum tradidit.

§. IV.

INter huius Metropoleos admiranda nemo unus eſt, qui Templum S. Vitalis non videat accenſendum. Iulianus, neſcio an cognomento, vel officio dictus *Argentarius*, iubente Eccleſiae Ravennatum Pontifice, excitavit; ingentique ſumptu ornamentis permultis ſplendidiſſimum fecit.

✱ IVLIANVS ARGE
NT SERVVS IE
SI PRECIB VEST BASI
A FVNDA PERFEC

Teſtatur id inſcriptio in lapide cavo, & quadra-

to quondam prae foribus Templi poſito ad Aquam luſtralem continendam, nunc prope ſepulcrum Yſaacii aptiſſime conlocato.

In epyſtylio columnarum, quae porticus, & teſtudinem ſubfulciunt, viſitur parva Crvx, quam circumſtat polygramma hoc ad expediendum difficile, quodque inplexam, & iudicatu obſcuram inter doctos viros controverſiam exſuſcitavit.



Fabrius, aliique Narses ſunt interpretati. Narſetem illum citra dubium intelligunt, de quo Paullus Diaconus in libro de Geſtis Langobardorum: *Hic Narſes prius quidem Chartularius fuit, deinde propter virtutum merita Patriciatus honorem promeruit; erat autem vir piiſſimus in Religione Catholicus*: & de quo poſt Ioannem Iacobum de Dracone, Octavianus Gentilis in pereleganti libro *de Patriciis* (*lib. II. Cap. 9.*) *Hinc Narſes Patricius omnium primus occurrit nuncupatus Exar-*

chus

chus Italiae. Sed Bacchinio grave negotium faceſſit, quod antequam Narſes pro Iuſtiniano in Italia rerum procurationem gereret, iamdum Templum fuerat abſolutum, dedicatumque. Sunt qui IVSTINIANI nomen inibi latere adfirmant. At ubi gentium ſumus, boni coelites, ut huius rei elementa hic ſe ſe prodant? Montfauconius in *Diario Italico* artificis nomen ſubindicari autumat, nihilque, praeter ea verba NEPOS, latitare. Huic opinioni adſtipulantur Clariſſimus Vulpius in recenſione Teſtimoniorum Cornelio Nepoti praefixorum. Verum multa ſunt, quae moram iniiciunt ne Montfauconium ſequamur. Doceat primum oportet per ea tempora in more poſitum fuiſſe, ut Architecti nomen ſuum, illudque in loco tam conſpicuo, & iterum iterumque caelarent. Summam mihi creat difficultatem, quod Architectis, etſi impenſa ſua opus excitaſſent, nomen imponere haud permittebatur. Hinc, ut Plinius narrat (*Lib.* XXXVI.) *Suaron*, & *Batrachum* Lacones Architectos in Porticibus Templi Octaviae in columnarum ſpiris *Ranam* & *Lacertam* ſcalpiſſe, ut quaſi clanculum eorum nomina indicarent: hanc enim σαῦρον, illam βατράχον Graeci vocabant. De hoc abunde Philippus a Turre in *Monumentis veteris Antii Cap. VIII.*) Severitatem eius moris, quo Architectis nomen ſcalpere interdicebatur, confirmat Blanchinius ea obſervatione, quod in tot millibus inſcriptionum vix exemplum (ut in lapide Theatri Herculanei) reperias. Opificis nomen invenies quidem in lateribus, in fiſtulis aquaductuum, in lucernis figlinis; ſed opera ea ſunt vulgaria, & privata. Montfauconium nimium coniecturae indulſiſſe noverat Bacchinius, qui viam aliam ſibi ineundam duxit; nempe ECCLESIVM per eas litteras in-

 di-

digitari autumat. Verum dum carpit aliena, malum occupat conſilium. Quamvis enim litterae, quae multiplici nexu ſe revinciunt, obſcuram ſignificationem obvolvant; tamen, ut Cuperi verbis utar, (*in Epiſt. ad Goezium*) praecipuas partes commonſtrant. Quid ibi de Eccleſio praeter litteram unam perſpicaciſſimus quiſque poterit obtuerier? Ciampinio Veterum Monumentorum Par. II. Cap IX. pag. potius denotari videtur NEONTIVS, ſive NEO, aut NEONA Epiſcopus, qui paullo ante in Ravennati Sede *Eccleſium* praeceſſit. At iam audiamus quid pandat ſummi nominis vir Scipio Maffeius in *litterariis Obſervationibus Tomo IV.* Montfauconium criminatur, & non Architecti, ſed Pontificis nomen ſe detegere ait, cui nomen T. CORNELIVS NEPOS. Sed, abſit verbo iniuria, unde tot recuperat litteras, ut hoc nomen ſubſtruat? ex qua gente, vel regione hunc hominem accerſit? quae Diptycha hunc novum Pontificem Ravennatibus patefaciunt? Ea propter ſic ſtatuo, rem adhuc in accipiti verſari, & nil praeter Crucem perſpicuum eſſe: ſubinde ſatius duco nihil dicere, quam uatas pro libidine interpretando, ineptire.

Sed, antequam ex hoc pervulgatae famae S. Vitalis Coenobio pedem efferam, non commemorabo virum illum omnium ſermone celebratiſſimum Petrum Paullum Ginannium Caſſinenſium Praeſidem Providentiſſimum? Plura de eius in me benevolentia, deque in Rempublicam litterariam meritis inferius dicam; modo unum eſt, de quo te certiorem faciam: nonnulla anaglypta, & antiqua marmora aptiſſimo loco collocari curavit. Toreuma omnium pulcherrimum, forte ab illis AVGVSTALIBVS, qui Ravennae ſuum habuere Conlegium, de-

dedicatum, iuris publici faciet, & commentario inſtruet amicus mihi germanum in modum I. Bapt. Paſſerius. Inſcriptiones editae ſunt, ſed aliquantulum depravate, ſi illam excipias, quam ſingulari Epiſtola interpretatus fuerat Blanchinius. Altera eſt pridem e ſolo effoſſa. In ea epigrammatis auctor dira mala comminatur ei, qui ſepulcrum violarit. Menckenius iunior in ſua Diſſertatione *de Diris* apud Veteres habet ſimilia; ſed haec in pluribus ab uſu communi diſcedit.

✠ IN N̄ PATRIS ET FILII ET SPIRITVM (ſic) SC̄I HIC
REQVIESCIT IN PACE (ſic) DOMINICVS PR̄B DE
SERVIENS BASILICE SC̄I VITALIS MARTY
RIS ET SI QVIS HVNC (ſic) SEPVLCRVM VIOLA/E (ſic)
RIT PARTEM HABEAM (ſic) CVM IVDA TRADITOREM (ſic)
ET IN DIE IVDICII NON RESVRGAT PARTEM SVAM
CVM INFIDELIBVS PONAM.

§. V.

SVperſunt mihi nonnulla de Cruce, & Chriſti Crucifixi Simulacris. In aedibus Comitis Marci Antonii Ginannii, Viri Patricii ingenua pietate, ac multiplici eruditione ſpectatiſſimi, ectypon vidi antiquae picturae, quam Petrus unus ex ſuis maioribus iuſſerat deformari, & Meldulae in Templo S. Franciſci conſtitui mandaverat. Crux duplex, altera anguſtior & *Immiſſa* alteri ampliori & *Commiſſae* ſuper impoſita. Tabellae hic quoque ad tres extremas Crucis partes cum imaginibus

 aeter-

aeterni Patris librum manu geſtantis, B. V. & Ioannis. Supra titulum Pellecanus filios paſcens proprio cruore. Sub Cruce Magdalena erectis ulnis Chriſti pedes amplectens: utrinque Pentagramma, quod heic oculis ſubiicio.



Cl. Comes Ginannius in pereleganti Diſſertatione Italica interpretatur: *Petrus Ginannius Anteſignanorum* (ſeu *Anteſignariorum*) *Tribunus*; nam quinque litteras ſibi conſpicere videtur P. G. I. A. T. Nonnulla placet huc tranferre ex opella, quam auctor ſumma comitate politus nobis legendam commodavit.

Ac primo quidem obſervat Iordanum in Antiquitatibus Provinciae Aemiliae apud Paſolinum: *Luſtri Ravennati Part. III. Lib. 9.* adfirmaſſe: *che aſſediata la Terra di Meldola, fu liberata da Pietro Ginnani coll' aiuto de' Fiorentini*, & alibi: *Pie-*

tro

tro teltoſi da Siena ſtanziava in Meldola. Incomportum haud tibi erit, mi Gori, anno MCCCXXXV. *Franciſcum Ordelaſſum* cum Fcrolivianis ſuis copiis, hiſque etiam, quas ſuppeditarant Eſtenſes, Polentani, & Malateſtae, quaſque ducebat *Vannnes* (ſeu Ioannes) *e Soſennana*, Meldulam circumſediſſe, machiniſque bellicis admotis acerrime oppugnaſſe; ſed. Florentinos iuſſu Pontificis Meldulam obſidione liberaſſe, & Papae nomine militum praeſidia inibi conſtituiſſe. Quid de hoc praeclaro facinore plura commemorem? Res ſatis nota ſaepiuſque litteris tradita. Domonſtrat itaque Çomes Ginannius ſuum Petrum eo in bello agmen duxiſſe Florentinorum, & Guelſis praeiviſſe adverſus Ghibellinos, qui foedus inierant cum Ordelaffio, & veluti ſociali bello pugnabant.

Secundo paucis ſermonem inſtituit de *Anteſignanis*, qui erant Campiductores, & Campigeni, quod ante ſigna irent, & militibus praeſcriberent, quomodo in hoſtem incedendum. Hi certo numero fuere in legione, & qui eis praeſiciebatur dictus eſt *Tribunus Anteſignanorum*. Salmaſius de re militari hoc officium pluribus declarat, imo apud Gruterum *in Theſauro fol. DXVII.* legitur:

AELIVS . MACER . ANTESIGNANOR . TRIB.

Sequioribus ſaeculis, ut notat Cangius, qui Vexillo praeibat pro eius cuſtodia, *Anteſignarius* adpellabatur.

Tertio auctor eſt Vincentius Borghinius (*P.II.*) *che in alcune guerre, ch'ebbe in que' tempi la Chieſa (nimirum Saec. XIV.*) *in Lombardia, et in Romagna, era nell' oſte principale lo ſtendardo del* Crocefisso. Quare ad huius Chriſti Crucifixi formam fuiſſe vexillum, cui cuſtodiendo Petrum prae-

 fece-

fecerant, pronum eſt coniicere. Eſt etiam cur verum putetur, Florentinos poſt partam victoriam Meldulae regendae Petrum praepoſuiſſe, & illum hanc Iconem pingendam curaſſe, & tanquam ſigna victricia fixiſſe, ut ſe Chriſto beneficium acceptum referre oſtenderet, ac praedicaret.

Quarto denique quod magnogramma complet, nil niſi vexillum eſſe putat eorum, qui cum Guelfis pepigerant foedus, quique *Nigrum* colorem ſibi adaptarunt; quemadmodum hi, qui ſtabant a partibus Ghibellinorum *Album* delegerant. Totam horum temporum rationem, qua belligeratum eſt, celebratiſſima illa populorum diſſidia, quae in Etruria felici maxime graſſabantur, eorum Inſignia, & viciſſitudines proſequitur: multa ad examen revocat ex his, quae ſunt in Collectaneis *Rerum Italicarum*: tandem ex Hiſtoria Senenſi Malavoltae paucis exſtricat dificultatem, quî fieri potuit, ut Petrus Ginannius domo Senis a Florentinis tum temporis ad copias ducendas fuerit accitus. Plura de ſymbolis Scuti ſui Gentilitii adiicit, quae receſere ſuperſedeo. Iiſdem in aedibus ampliſſima Herbarum, Foſſilium, Marmorum, Avium omnium, Piſcium eſt ſupellex, quam magno ſumptu collegit Ioſeph Marci Antonii frater. Reaumurius, & Montius, qui ad eum frequentes dant litteras, & ab eo conſilium ineunt, multa ex hoc Muſeo eruerunt ad eorum ſtudia permovenda, atque amplificanda. Verum, ut habet vetus adagium, de artibus non niſi artifices iudicare fas eſt; quapropter haec quidem demiror; ſed nullum penitus iudicium interponam.

§. VI.

§. VI.

IAm nunc promiſſi fidem liberabo, & de Abbate Ginannio, qui me effuſae benevolentiae ſignificationibus excepit, verba faciam. Totus eſt in adornanda Scriptorum Ravennatum Bibliotheca. Codices complures mihi communicavit, qui ne dum rem patriam, ſed hiſtoriam litterariam ſummopere inluſtrant. Plura in his vidi, quae nondum typis commiſſa ſunt, quae, Deo benevolente, in tuis Symbolis edenda curabo; quorum in praeſentia Elenchum tranſmitto.

Alamanni Rinuccini Epiſtolae, & Orationes. 4. chart. maiori.
Antonii Coſtantii Fanenſis Orationes, & Carmina. 4.
Hyeronimi Guarini Carmina, Epiſtolae & Orationes. 4.
Iuli Budi Ceſenatis Epiſtolae. 4.
Nicolai Ferretti Ravennatis Orationes. 4.
Oratio babita per Dominam Nicoloſiam de Sannutis Bononienſem, pro ornamentis reſtituendis coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre Domino Legato Graeco Bononiae Gubernatore anno 1453. in 8.
Thomae Meleghini Ferrarienſis Documentorum in arte Tabellionatus libri IIII. eſt Poëmation in 4.

Templum S. Mariae Rotundae, quod eſt ſepulcrum ab Amalaſventa Theodorico Patri excitatum, aquarum exundationes perſaepe deturpant. Nunc eius cura corrivationes excavantur, & aggeres circumquaque exſtruuntur, ut illud quovis tempore adire liceat, & eius ſubterraneas concamerationes inviſere. Dum caementarii terram altius molirentur, inibi repertus eſt Sarcophagus ex

graeco marmore ſubrubro, in cuius antica parte haec Inſcriptio:

L . RVMEIVS . CHRESIMVS
V. SIBI . ET F.
BODIAE . ZEPHYRAE . CONIVGI . ET
RVMEIAE . L . F . SECVNDAE

Sed ad Crucem, unde deflexit, revertatur oratio. Laudatus R. Abbas conſpiciendum mihi obtulit numiſma magni moduli, noſtra quidem aetate cuſum, ſed curioſum. Est Leopoldi Gvilelmi Arcidvcis Avstriae, & eius poſticae partis delineationem ad te mitto.



Cernis Crucem Domini nostri Iesv Cristi cum lemmate Timore Domini. Abs ligno tranſverſo pen-

pendent *Fraena equorum*. Sinoſtrorſum caelator *oculum* effinxit. *Palmae duae* invicem complexae Crucem, ad angulos revinciunt. Sub Cruce *Leo*, & *Vitulus*. Quorſum haec? Puto ad Boni Principis officia, & munia: nimirum ſceleſtos, & nefarios homines fraeno compeſcere oportere: iuſtitiam exercere, barbaros populorum mores cicurare, agere triumphos de inimicis; ſed haec omnia *in timore Domini*, & Cruce veluti praeeunte. Nihil receptius apud Veteres, quam ut per habenas imperium ſignificetur; ſcilicet ſi quiſpiam fraenum depulit ore, fraenum illi iterum iniiciendum eſſe, eumque *in Hominis & Civis officiis* continere. Praeterea apud Aegyptios nedum, ſed apud Graecos, iuſtitiae cuſtodem, ſervatoremque ſymbolo oculi patentis, ac pene dixerim emiſſicii ſignificari ſolemne erat; hinc celebre apud Platonem dicterium. *δίκης ὀφθαλμὸς*, *iuſtitiae oculus:* quod & Diphilus verbis illis:

Ἔςιν δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πανθ' ὁρᾷ.

Eſt iuſtitiae oculus, qui omnia intuetur.

Palmam victoriarum ſymbolum eſſe ex nummis, picturis proſtypis comperimus, reſque ſatis explorata eſt quin pluribus a me diduci oporteat. Sed victoria Chriſtiano Principi potiſſimum expectanda ex Cruce, quippe, quae: VIRTVS EXERCITVS - GLORIA AVGVSTI NOSTRI - SALVS AVGVSTORVM, in antiquis nummis inſcribitur.

Inquires poſtremo quid proferam de Leone & Vitulo. Exſtat nummus Gordiani III. quum Viminacium Coloniam deduceret, cum inſcriptione: P M S COL VIM *Provinciae Myſiae ſuperioris Colonia Viminacium*. In area mulier ſtolata, cui adia-

adiacent hinc Vitulus, illinc Leo. Quo haec ſpectant? res in oculos incurrit; nempe Gordianum Auguſtum cum populos illos Romanis adiungeret, manuſuefeciſſe, & ad mutua ſocietatis officia revocaſſe: & S. Paullinus Nicetae Daciae Epiſcopo gratulatur (*Carm. XXX.*) populum ſuum docuiſſe abſtinere irarum, aliorum dolere vices, concordi animo vivere, his carminibus.

Sic tuo mitis Lupus eſt ovili;

Paſcitur concors Vitulus Leoni.

§. VII.

COmpellas etiam ut dicam de Muſivis, teſſellatiſque operibus Baſilicae Vrſianae, atque de *Sella Eburnea* Pontificum Ravennatum. Noveris probe Baſilicam ipſam temporum vetuſtate fatiſcentem Archiepiſcopum Farſettum diſieciſſe, & novum Templum pro ſedis dignitate marini operis ſubſtructis aggeribus excitaſſe. Eques Bonamicius Architectus Ariminenſis, antequam Baſilica dirueretur, Muſiva, quae erant in Abſide, graphice delineavit, magniſque aeneis tabulis incidenda curavit; quare, quum Bonamicius ſpem fecerit opus prope diem in lucem emittendi, libenter mihi ſilentium impero. Huic operi praefixa eſt Diſſertatio abſolutiſſima viri longe doctiſſimi Ioſephi Aloyſii Amadeſii, de huius Metropolitanae Eccleſiae origine, ac dignitate, deque aedificiis pone eam exſtructis.

Sellam vero deſcripſit Bacchinius, & tabulis quatuor ſub aſpectum dedit: nonnulla tamen iuvat addidiſſe. Bacchinius eam ex ligno albicante, quod ebur imitetur, conſtructam putat; ego vero diligen-

gentiſſime inſpexi, attrectavi etiam, & cultro abraſi, atque experimento eburneam eſſe deprehendi. Pars quidem, quae a tergo, lignea eſt; imo poſtypa, quae hanc exornant (quod Bacchinio memoria excidit adnotare) lignea quoque ſunt. In *poſtergali*, quod vocant, ſex caelatae Tabellae, tunc erant, modo quatuor; nam *Viſitatio Sanctae Eliſabeth*, & *Convivium Chriſti poſt Reſurrectionem* deſunt; ita impraeſentiarum VI. introrſum, & XIV. exſtrorſum deſiderantur. Addam etiam tabellas eburneas, & ligneas non eſſe aetate ſuppares; illae enim antiquioris & multo diſſimilis artificii: quod etiam a Bacckinio eſt praetermiſſum. Decem aliae Tabellae eburneae, in quibus tota Ioſephi Hiſtoria oculis ſubiicitur, exſtant hodienum. Huic anaglypto aliud pene ſimile vidi Neapoli in aedibus Optimi Cardinalis Spinelli, quem ob multa in me benefacta veluti praeſtantiſſimum Numen ſuſpicio. Tabula eſt marmorea ex pairetibus maioris Templi avulſa, quum tanti Principis impenſa in ſplendidiorem formam derigeretur: oblonga, & in parvula quadrata diſtincta. In his res abs Ioſepho geſtas lapicida exſculpſit, Omnium ſenſus eſt, ſellam ad Pontifices pertinere: cuipiam tamen viro, ceteroqui rei antiquariae ſtudioſo, in ſuſpicionem venit, num forte ſedes eſſet Exarchorum, At qui oculata fide ſellam ipſam, monogramma huic adiectum, & ſellas alias marmoreas in hac urbe ſuperſtites, quibus utebantur Antiſtites, & Abbates, expenderit, facile nobiſcum pari utetur conſilio.

§. VIII.

POſtremo in mandatis a te habeo, ut quidquid Antiquitatis excellens, & rarum detegerem, & non-


nondum typis commiſſum delinearem. Quid rerum agimus mi Gori? Nunquid ſacerrima hactenus narrata profanis temerabo? Colligam quidem, ut tibi morem geram, ſed haec iaceant mantiſſae adinſtar, & veluti diſſociata, & ſepoſita. Primo in ambulatione ſubdiali Epiſcopii exſtat anaglyphum dignum oppido, quod tibi exhiberem conſpiciendum. Fabula, quam hic effinxit eximius ſcalptor, nota eſt, at vix in antiquis marmoribus reperitur. Tradunt Fabularum narratores poſt Apollodorum *Lib. II.* Euryſtheo mandante, Cervam aeripedem, & aurea cornua habentem (*ſi modo in cervis feminis*, inquit Giraldus, *cornua reperiuntur, quod tamen fingunt Poëtae*) Dianae ſacram fuiſſe, quam nullus mortalium poterat curſu comprehendere: iubetur Hercules illam vivam Mycenas adducere; annum totum currendo eſt inſecutus; tandem, ut nonnullis placet, ad Ladonem amnem iam iam tranaturam, vel, ut ſcribunt alii, in monte Artemiſio prae laſſitudine dormientem, cepit. Marcus Marulus Spalatenſis *in Dialogo de Laudibus Herculis*, laqueis implicatam fuiſſe docet illis verbis: *Poſt haec, ut non robuſtum modo, verum etiam prudentis admodum ingenii eum fuiſſe monſtrares, aeripedem cervam aurea cornua praeferentem ab illo* LAQVEIS *captam memoras*. Marmor quod eſt in ſolario Archiepiſcopi Ravennatis potius dormientem captam oſtendit: cernimus enim Herculem arcum, pharetram, leoniſque exuvium depoſuiſſe, & trunco ſuſpendiſſe, ut pedetentim, & placide in digitos erectus incedens improviſo illam detineret. Conſonat illud incerti in Anthologia *lib. IV.*

Quarto labore Cervam aureis cornibus dormientem cepit.

Quar-

Quartum hunc Herculis laborem exhibet Begerus in ſuo *Hercule* Tab. IX. non ex Toreumate, quod minime viderat, ſed ex MSS. Pighii deſumſerat: In eo vultus hominis, & beluae penitus detriti; cornua cervam haud exprimunt, nihilque Herculem refert; praeter clavam humi iacentem, ſicut in hoc noſtro marmore. In nummis etiam (quid enim verum ſive ab hominibus, ſive a DIs geſtatum in his non deprehenditur?) Tabula haec conſpicitur. Triſtanus in opere (*Comentaires ſur les Medailles*) nummum prodit Pruſae ad Hyppium percuſſum in honorem Macrini, quem perperam delineatum videre etiam eſt in magna collectione Montfauconii. ΜΗΤΡ ΠΡΟΥϹ ΕΩΝ ΠΡΟϹ ΥΠΙΩ. *Metropoleos Pruſienſium ad Hypium*. Duplex erat Pruſa in Bithynia, altera ad montem Olympum; altera ad fluvium Hypium. Μητροπολεως nomen indutum puto huic urbi honoris cauſſa, non quod ei multae aliae civitates parerent. Nummus in hoc a marmore differt, quod Pruſienſis monetarius Herculem effinxit clavam manu erigentem, cervam quaſi percuſſurum, non quidem ut interimat, ſed ut terrefaciat, ne ulterius aufugiat. Alium etiam nummum a Nicenſibus cuſum ſub Antonino protulit vir praeclara eruditione P. Froelichius (*Appendix ad Num. Vrbium Graece loquentium num.* CXLI.) ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Latina etiam pecunia hoc Herculis facinus repraeſentat. Triſtanus, Oiſelius, Mediobarbus nummum recenſent Maximiani, numini, maieſtatique Herculis devoti, in quo Hercules, clava depoſita, cervam cornibus apprehendit, cum inſcriptione: VIRTVS AVGG P. ROM. Bandurius alium profert tertiae formae, & eximiae raritatis. Hoc ipſum Herculis facinus adlatis ſarcophagis egregie illuſtras Cl. Gori, in Prolegom. Tom. III. Inſcr. Etruriae. II. Eſt

II. Eſt etiam hac in urbe peramplum, & inluſtre Coenobium, vulgo *di Claſſe*. Incolunt Monachi Camaldulenſes pientiſſimi, ſtudiis & doctrinis dediti, eſtque Bibliotecha ſat referta, & Muſeolo inſtructum. Paucula quaedam hic depromam, quorum huic Panacothecae paucis ab hinc diebus facta eſt acceſio. Lapis Roma advectus ſic habet:



Sic interpretor: BALENTIA, ſeu VALENTIA. FILIA. MATRI. IN. PACE. Littera A quater conſpicitur; ſed ubique diſſimilis figurae. Aliud marmor in hunc modum:

D *Heic Columbae duae* M
cum ramuſculo in roſtris
ſic *ſic*
LESVRIÆ. IVSTI
NÆ. FILIAE. DVLC.
Q. V. A. XVIII. M VII *ſic*
ſic
LESVRIVS. CLEMENS
ET. CLODIA. PAVLI *ſic*
NA. PARENTES. ET
AVRELIVS. PAPI
RIVS. MARITVS
CONTRA. V. P.

In-

Digitized by Google

Inſcriptio altera hoc pacto:

V I C T O R I A N
A L E X A N D R I N
V I X AN. X X X X.
M I L. A N. X X.
M. A V R E L I V S.
S E L E V C V S. HER.
EX. EA. ET. MARION. LIB
B. M. P. C

Si Victorianus hic patria Alexandrinus ex XL, quos vixit, annis, militavit XX; ergo rite inter milites allectus, auctore Plutarcho in Gracchis: νεώτερον ἑπτὰ ϗ δέκα ἐτῶν μὴ καταλέγεσθαι ςρατιώτην. *iuniorem annis ſeptem & decem militem non legi;* etſi aliquando ob iuvenum inopiam, ut in ſecundo Bello Punico, lex violata ſit. Item e vivis deceſſit antequam ex numero iuvenum exiviſſet, quod vel anno aetatis XLVI. eveniebat, ſi Polybium audimus, vel XLV. ſi Cenſorino ſtamus. *Vſque quinque & quadraginta annos iuvenes adpellatos, quod Rempublicam in re militari iuvare poſſent.* (*de die Natali*). Formula illa EX. EA omnino inſolens, neque emendari poteſt EX. EO; nam hanc loquendi rationem Veteres, quod ſciam, minime uſurpant. Sollemne quidem EX ASSE, EX BESSE &c. EX TESTAMENTO. Quocirca lapicidae culpa forte error irrepſit.

III.

III. Inter monumenta eiuſdem Muſei imago exſtat etiam iuvenis pectore tenus ex aerea lamina conformata, ſed ectypum eſt opus. Mortuorum Imagines non ſolum Sepulcris adiiciebantur, aut deportabantur cum funus duceretur, ſed in aedibus religioſe adſervare conſuevit Antiquitas. Stiae *Genii*, *&* *Lares Domeſtici*, de quibus ſermonem inſtuere, opus eſt ut mihi temperem, quum totam Geniorum, & Larium doctrinam diligentiſſime tradiderit I. B. Paſſerius in aureo ſuo *Acherontico*, te curante, edito in tuo Muſeo Etruſco.

IV. Exſtant in Sacrario S. Vitalis mitrae aliquot gemmis antiquis ornatae, quas ſolent paullo antentius contemplari, qui iter habentes vetera monumenta luſtrare delectantur. Gemmas omnes deſcribere nec eſt opus, nec vacat. Vnam tantummodo proderit ſub aſpectum ſubiicere, & explicare.



Huic fere ſimilem protuliſti, DOCTISSIME GORI, in *Mu-*

Muſeo Florentino Tab. XXII. 1. 2. ſed opinione diſcrepamus; ſiquidem ais: *adhortatio eſt ad Amaſium, vel Amaſiam, ut mutui amoris recordetur.* Ego vero ad morem illum perditiſſimum refero, quo veteres Mortis memoria ſe ſe ad voluptates excitabant, & illius recordatione in venerem, & Bacchum fiebant effuſiores. Quum Piſaurum paucis ab hinc menſibus divertiſſem, meque, ut aſſolet, hoſpitio ſingulari humanitate excepiſſet vir & ſummo loco natus, & apprime comis Hannibal de Abbatibus Oliverius, quem medullitus, & pluſquam oculos diligo, iam tum animo conſtitueram hanc tibi meam aperire ſententiam. Nam, quum Cl. Oliverius, cuius *ſe pectore cuncta vetuſtas condidit*, ſuis me eruditiſſimis ſermonibus bearet, & Graecos praeſertim nummos, & gemmas antiqui operis, quae omnia recens comparaverat, mihi conſpicienda obiiceret, Gemmam etiam vidi cum lemmate: MNHMONЄΥЄ: de eius interpretatione in colloquium ventum eſt, meumque illi probari conſilium animadverti; nunc vero quoniam opportunitatem nactus ſum, cauſſas quibus impellor, ediſſeram.

Itaque Gemma, quae eſt ex veteri encauſto bicolori, manum refert auriculam ſummis digitis attrectantem, vellentemque cum lemmate: MNHMONЄΥЄ MOΥ. *Memento mei.* Primus, qui eius meminerit, Lipſius fuit, qui (*Quaeſtionum Epiſtolicarum Lib. IV. Epiſt. XXVI.*) lapillum caelatum, in quo caput ſculptum, & manus aurem prehendens, cum verbo greco *μνημόνευε*, ſe vidiſſe apud fratres Laurinos ſcribit. Commemorant Raevardus (*ad leg. XII. Tabular*) Iuriſconſultiſſimus Gravina (*Originum Iuris Lib. II.*) Heinecius (*Antiquit. Rom. Lib. IV. Tit. VI.*) ubi de

anteſtatione, quum actor, cui reus ſe ſubducere ſatagebat, & iudicium declinare, teſtes advocans, interrogabat: *licet anteſtari?* Hinc memoriae cauſſa admotis digitis imam eis vellicabat auriculam: quod ideo factum, quia aurem Memoriae veteres dedicarunt, ſicuti dexteram Fidei, genua Miſericordiae, frontem Genio etc. Sed in carminibus amatoriis exemplum non ſubit animum, quo oſtendam amaſium auricillam puellae vellere, ut ſui recordatio alte in animum deſcendat, eumque prae oculis geſtet. Corollas quidem, tabellas, libros duarum plicarum, ſtrophium puellis miſſitare ſolebant amatores, quo animum illicerent, atque devincirent; ſed teſſeram benevolentiae, in qua hocce ſymbolum auris, a quo traditam legimus? Gemma haec perfrequens: cur ergo inter amantium artes non recenſent, qui de his ſcripſerunt? Cupido ille divipotens deſcribitur quidem a Mythographis faces iniiciens, eiaculans tela, laqueis retibuſque implicans; quem vero, etſi bona vellet, oricilla arripuit? Apollo id praeſtitit apud Virgilium Tytiro paſtori, ne muneri ſuo deeſſet, & carmen pangeret: Eclog. VI.

. . . . *Cynthius aurem*
Vellit, *&* *admonuit* . . . .

Sed Cupido Deorum natu minimus hoc ritu haud utebatur. Mors utique, ſi fides Gentilium Theologis, atris cum volat alis, ſic homines admonebat, ut genio indulgerent antequam tributum penderent.

Memoria repete, Gori amicorum ſuaviſſime, quod legimus in Poëmatio, cui titulus *Copa Syriſca*, quod Virgilio, (etſi plures pernegent) attribuunt Scaliger, Cauſabonus, Barthius, aliique pe-

penes I. Weitzium, a quo editum 1642. Recte ne an ſecus Cupam hanc viderit Baudelotius in nummulo, in quo vas, & litterae C. S. non quaero. Poëmatis argumentum probe habes exploratum, ſed exitum perpende:

Pone merum, & talos; pereat qui craſtina curat;
Mors AVREM VELLENS: vivite, ait, venio.

Ego ita de ea re ſentio. Quemadmodum antiquis temporibus, qui omnes vitae delicias captabant, *larvam illam argenteam* Mortem referentem, quam in Trimalcionis convivio deſcribit Petronius, in convivium medium afferri iubebant, ut brevitatis vitae commonefaceret; propterea bibendum eſſe, atque edendum, ut nihil de huius vitae, ut impii cogitant, fructu depereat. Lucretius Lib. III.

Hoc etiam faciunt ubi diſcubuere, tenentque,
Pocula, ſeque homines, & inumbrant ora coronis,
Ex animo, ut dicant, brevis hic eſt fructus homullis.

Ita etiam in ceteris humanae vitae actibus ſe ipſos ad libidinem provocabant, gemmas in anulis geſtantes, in quibus hoc noſtrum Mortis hieroglyphicon. Perſpicuum inde mihi fit dum adſimiles gemmas contemplor, in quibus aliud ecphonema ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ ΚΑΛΗΣ ΤΥΧΗΣ, *Memento bonae Fortunae*, quid verba haec exprimunt niſi peſtiferum dogma, vivendum eum voluptate, dum fortuna felix adſpirat? Id praeterea confidentius adfirmo, dum animo revolvo hoc in more poſitum fuiſſe apud antiquos, ut anulorum cavis illigarent lapillos, quorum caelatura id admonebat, exiguum nobis vitae curriculum naturam circumſcripſiſſe; idcirco in voluptatibus aetatem terere oportere.

Exem-

Exemplo ſit gemma illa, cuius mentionem iniicit ſcitus, ac peritus Antiquarius Venutus, (*Collectan. Antiquit. Roman. Tab LXXX.*) quamque ille viderat apud M. A. Sabbatinium, *ἀφροδίσιον σχήμα* conſulto praetermittit, inſcriptionem recenſet, quae ſic ſe habet:

ΠΑΡΔΑΛΑ . ΓΕΙ	*PARDALA . BIBE . DELICIARE*
ΝΕ . ΤΡΥΦΑ . ΠΕΡΙΛΑ	*COMPLEXV . VTERE . MORI*
ΜΒΑΝΕ . ΘΑΝΕΙΝ ϹΕ	*ENIM . TE . DECET . ET . TEMPVS*
ΔΕΙΟ . ΓΑΡ . ΧΡΟΝΟϹ	*BREVE . EST.*
ΟΛΙΓΟϹ	

In cinctu autem illo quadrinodi (quem in hac tantummodo Gemma hactenus vidi) quidpiam ſuſpicor male ſani, & obſceni, & fortaſſe Faſcinum, quo in re amatoria turpiſſime Veteres utebantur. Tibullus I. IX.

Ipſa Venus magico religatum brachia nodo,
Perdocuit multis non ſine verberibus.

Sed haec foeda ſunt, & ab honeſtate remota, nec in flagitioſis decet eſſe longiloquum. Habes, mi Gori, de hoc Cimelio, quae mihi iamdiu inſederat animo opinio. Hic Mors adhortatur, ut ſui recordetur, qui hac gemma uſus fuerit: curet ſe molliter, oblectet ſe voluptatibus, & ut Catullianis verbis dicam, vivat atque amet, nobis quum ſemel occidit brevis lux. Da veniam oro obteſtorque ſi a te diſſentio; neque id in ſequiorem rapias partem: Si enim iuſſeris, e ſententia diſce-

ſce-

ſcedam, adeo tuum de his rebus iudicium aequiſſimum cenſeo.

Haec habui, quae dicerem de nonnullis huiuſce Vrbis Antiquitatibus; non eo conſilio, ut in Ravennatium fortunas audacius invaderem: ſunt enim viri doctiſſimi, qui ſi hanc ſpartam adornare inſtituiſſent, commentario longe eruditiori praeſtitiſſent; ſed ad ſcribendum animum appuli, tum ut tibi petenti morem gererem; tum ut Ravennatibus, qui me benevolentis, liberaliſque animi ſignificationibus ſunt complexi, obſervantiam, pronamque voluntatem teſtatam fecerem, & Exercitationem hanc meam, quaſi donarium, eorum GENIO INDVLGENTISSIMO lubens merito conſecrarem. Vale, OPTIME GORI, meque amare perge.

Ravennae VIII. Kal. April. cIↃ.IↃ.CCXXXXIX.

ERRATA ita CORRIGITO

XIII. lin. 20. *auſpicatiſſimum* Pag. 1. *Bibliothecarii*
P. 21. l. 26. Inſcriptio & l. exſtat
P. 73. l. 11. complures
P. 90. l. 14. nunc profero
P. 97. l. 2. patens
P. 98. l. 2. ὑποπόδιῳ
P. 121. l. 12. *videtur*
P. 125. l. 6. *Zmyrna*
P. 136. l. 8. innexas
P. 145. l. 15. Episcopvs A l. 29. exaltatione
P. 151. CAPVT VIII.
P. 153. l. 6. Columbario
P. 162. l. 14. oſtendunt
P. 170. l. 19. quam edita ſit
P. 172. l. 1. CAPVT VIIII.
P. 176. l. 31. fimbriis. *Reliqua, ſi quae ſunt, humaniter ipſe deleto.*